Hieronymus in prooemiis

quid tractaverit et quos auctores quasque leges rhetoricas secutus sit.

Dissertatio inauguralis,

quam ad summos in philosophia honores
ab amplissimo philosophorum ordine Rostochiensi
rite impetrandos

scripsit

WALTER STADE
Gustroviensis.

Rostochii.
Typis academicis Adlerianis
1925.

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit
Rudolfus Helm, P. P. O.

Examen rigorosum habitum est die VI. m. Iunii a. 1924.

Dissertatio orta e scripto ab ordine philosophorum die XXVIII. m. Februarii a. 1924 coronato sumptu Universitatis Rostochiensis impressa est.

Parentibus sacrum.

Partitio.

Hieronymus scriptor ille ecclesiasticus insignis adulescens Romae summa cum industria artem grammaticam et rhetoricam didicit ab Aelio Donato; id quod ipse testatur, cum doceat in Chron. de anno p. Chr. n. 354 (ed. Helm, pg. 239): „Victorinus rhetor et Donatus grammaticus praeceptor meus Romae insignes habentur.“ Et quantopere a puero in hoc studio versatus sit, profitetur in praef. in l. Hiob (M.[1]) 28, 1082 B): „In Latino paene ab ipsis incunabulis inter grammaticos et rhetores et philosophos detriti sumus.“ Haec studia in operibus, quae plurima edidit, apertissime animadverti consentaneum est (cf. O. Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Literatur III pg. 650/651. — G. Grützmacher: Hieronymus. Eine biographische Studie zur alten Kirchengeschichte I pg. 113 sqq.). Sed cum multum versatus sit in vertendis et interpretandis Scripturae sanctae libris, in his non tam leges rhetoricas quam eorum voluminum sequi debuit, quibus tum ipsum operam dabat. Multo liberius loqui potuit in prooemiis, quippe quae sua sponte translationibus vel commentariis adiunxerit. Haec autem secundum artis rhetoricae praecepta instituta sunt, cum omnia, quae profert, et apud alios scriptores praeclaros inveniantur et a magistris illius doctrinae postulentur. Quod ut ostendatur, haec dissertatio spectat.

Atque primum quidem quaerendum est, quae opera ornaverit Hieronymus prooemiis. In hac re distinguenda sunt ea exordia, quae pertinent ad totum quoddam opus ab iis, quae praefixa sunt singulis libris. Prooemia totius operis nunquam desunt.[2]) Singuli libri eis carere possunt. In iis enim disputationibus, quibus sententiam cuiusdam adversarii refellit, prooemia singulorum voluminum omittit.[3]) Item in dialogo adversus Pelagianos conscripto, qui solus ex Hieronymi dialogis complures libros continet, singulis libris exordia desunt. Hoc usu Hieronymus consentit cum iis, qui more Platonis, non Aristotelis, dialogos conscripserunt (cf. Hirzel, Dialog I, 298 sqq.).

---

[1]) M. = Migne, Patrologia, Series Latina. Hanc editionem in omnibus Hieronymi libris secutus sum exceptis l. de viris illustr. (ed. Herding, Lipsiae 1879), Chronicis (ed. Helm, Lipsiae 1913), epistulis (ed. Is. Hilberg, C S E L 54—56) Comm. in Ierem. (ed. Reiter, C S E L 59).

[2]) Sola in transl. Homil. IX Orig. in Ies. (M. 24, 901 sqq.), quantum video, nescio qua de causa deest principium. Atque fuerunt viri docti, qui abiudicarent ab Hieronymo hoc opus (v. Admonitionem in hunc librum, M. 24, 899). Quamquam hanc rem non est meum decernere. cf. Grützmacher I, 182.

[3]) Unus exceptus est adv. Rufin. l. III; sed hoc loco se defendit a criminibus, quae adversarius, ut prioribus duobus libris responderet, ei intulit. Per se igitur stat hic liber III neque artius cohaeret cum ceteris. cf. Bardenhewer III, 634.

In commentariis autem non solum totum opus principio ornavit, sed etiam singulos libros. Consuetudinem igitur secutus est scriptorum didacticorum, qui ipsi quoque omnia volumina incipiunt a prooemiis (cf. Birt, Ant. Buchw., pg. 175; G. Engel: De antiquorum epicorum, didacticorum, historicorum prooemiis, Diss. Marburg 1910,[1]) pg. 15). Discedunt soli Comm. in Matth. Ut enim universae interpretationis initium ducitur a praefatione, ita singuli libri nescio qua de causa exordio carent. In ceteris autem commentariis, quorum numerus est permagnus, ubicumque in explanatione constitit, novae parti prooemium praefigit; atque ita quidem, ut proprium libri I principium desit, cum totius operis prooemium ad eum pertineat; quod plerumque ipsa amplitudine cetera singulorum librorum exordia superat.

Translationum autem non omnes libros prooemio exornat, sed eos, qui artius cohaerent, uno complectitur. Velut scripsit singula in Pentateuchum, in duodecim Prophetas, in quattuor Evangelia. Imitatur hac re usum scriptorum historicorum (velut Livii), qui non omnibus suis libris praefigunt principia, sed iis tantum, quibus novam quandam rem tractare incipiunt.

Restat, ut quaeramus, qua ratione prooemia Hieronymi coniungantur cum operibus ipsis. Plurimi eius libri sunt translationes vel commentarii. In his libris satis multum interesse inter exordium et ipsam tractationem apparet. Nam ut praeteream translationes, in commentariis ita solet versari, ut ponat versus Scripturae sanctae interpretandos et addat, quid de iis censeat. Prooemium ergo est quasi προαύλιον (Arist. de arte rhet. III 14, 1414 b. 20), quod a libro ipso prorsus segregari potest. Qua de causa plurima eius exordia potius nominari posse videntur praefationes quam prooemia.[2]) Solis in controversiis paulatim et sensim transgreditur ad rem, in ceteris satis abrupte oratio intermittitur prooemio finito. Hieronymus ipse ea, quae libris praemisit, appellare solet praefationes vel saepius praefatiunculas (cf. ep. 112, 20; M. 22, 929. Comm. Jes. III; M. 24, 91 A. Comm. Ezech. V; M. 25, 140 D), nonnumquam etiam prologos (Transl. Jerem. prol.; M. 28, 847). Nomen autem exordii vel principii attribuit ipsorum librorum initiis (Comm. Jes. XIV, M. 24, 477 D. Comm. Ezech. VIII, M. 25, 232 C, l. XIII, M. 25, 406 B. Comm. Abd. prol., M. 25, 1100 A; at dissentit Comm. Mich. II, M. 25, 1189 C; cf. Cic. Tusc. disp. I 4, 8).

Qua autem causa commovetur scriptor, ut hoc modo libris suis prooemia praefigat? Quid spectat hac re? Quintilianus dicit (Inst. or. IV 1, 5): „Causa principii nulla alia est, quam ut auditorem, quo sit nobis in ceteris accommodatior, praeparemus.“ Quomodo autem ad hoc perveniatur, idem docet, cum pergat: „Id fieri tribus maxime rebus inter auctores plurimos constat, si benevolum, attentum, docilem fecerimus“ scil. eum, qui audit vel legit.

---

[1]) Haec dissertatio in reperiendis aliorum scriptorum exemplis magno mihi fuit usui.

[2]) Quid significaverint rhetores antiqui voce praefationis, Volkmann docet in: „Rhetorik der Griechen und Römer“[1], pg. 308. Inde intellegitur praefationem vel λαλιάν, quam Graeci vocabant multo minus cum tractatione cohaerere quam propria prooemia, quippe quae arte cum libro ipso coniuncta sint.

Etiamsi enim Quintilianus institutionem oratoriam scripsit ad oratorum iudicialium usum, non minus quam plurimi magistri artis rhetoricae, tamen eorum praecepta optime adhiberi possunt ad ceterorum generum libros. Eadem enim sunt artificia, quibus idem prooemii propositum efficitur. Nihilo minus pauca admodum illa, quae accepimus de reliquis litterarum generibus, plurimi debent aestimari. Lucianus de hist. conscrib. § 52—53 ostendit praefationem operi anteponere quamquam non necessarium sit, tamen magno esse emolumento scriptori, et pergit: *Ὁπόταν δὲ καὶ φροιμιάζηται, ἀπὸ δυοῖν μόνον ἄρξεται, οὐχ ὥσπερ οἱ ῥήτορες ἀπὸ τριῶν, ἀλλὰ τὸ τῆς εὐνοίας παρεὶς προσοχὴν καὶ εὐμάθειαν εὐπορήσει τοῖς ἀκούουσιν.* Oportet igitur exordium lectorem reddat attentum et docilem. Haec autem duo, si recte censeas, ad unum pertinent. Summo enim iure Cicero dicit de inv. I 16, 23: ,,Nam eum, quem docilem velis facere, simul attentum facias oportet. Nam is est maxime docilis, qui attentissime est paratus audire.“ Hoc unum igitur omnia debent appetere, quae in prooemio proferuntur, ut alliciant lectoris animum.

Quid autem maxime idoneum esset, ut scriptor hoc assequeretur, non minus exploraverunt rhetores antiqui. Apsines ille clarissimus saeculi p. Chr. n. tertii vir doctus librum, quem scripsit de prooemio, incipit his verbis: *Εἴρηται μέν τινα καὶ τοῖς πρὸ ἡμῶν περὶ προοιμίου .... πόθεν λαμβάνεται προοίμιον, ὅτι ἐκ προσώπου ἢ ἐκ πράγματος ἢ ἐξ ἀμφοῖν* eqs. Variae igitur sunt res, quae disseruntur in exordiis. Atque primum quidem inspiciamus ea, quae sumuntur *ἐκ πράγματος*, a re ipsa tractanda, deinde quae *ἐξ ἀμφοῖν*, quibus scriptor exponit, quae ratio intercedat inter se ipsum et rem tractandam, id est, qua causa commotus sit, ut eam illustraret. Causae autem, quas affert, insunt aut in gravitate ipsius rei aut in persona; atque hac occasione data inquiremus usum dedicationis. Porro investigabimus, quomodo adversariorum opprobria repellat et omni ratione studeat se suumque librum lectoribus commendare; atque postremo eas res disserit scriptor ad incitandos hominum animos, quae neque a re neque a persona ducuntur, sed tantum ad augendam legendi voluptatem narrantur.

I.

Quae proferat Hieronymus de re ipsa tractanda.

Si ad quam rem hominum animos vis attendere, imprimis necesse est doceas, quid in animo habeas scribere. Prooemium enim non in universum debet delectare, sed inducere ad certam quandam rem. Quomodo autem hoc fiat, nisi si indicatur argumentum libri aut certe leviter significatur, haud intellegi potest. Argumenti ergo indicatio non solum est utilis atque iucunda

lectoribus, sed ne omitti quidem debet, cum hoc modo prooemium, quod in ceteris partibus satis abhorrere potest a libro, coniungatur cum re ipsa tractanda.

Hoc Hieronymus ipse quoque censet, cum dicat in prooemio l. Hebr. Quaest. in Gen. (M. 23, 935): „Qui in principiis librorum debebam secuturi operis argumenta proponere eqs.“ Similia inveniuntur in Comm. Ezech. IV et V, ubi verba facit de difficultate apte dividendi totum opus in complures libros. Sic est in prooemio l. V (M. 25, 139): „Ne librorum numerus confundatur, ... praefatiunculas singulis libris praeposui, ut ex fronte tituli statim lector agnoscat, quotus sibi liber legendus et quae nobis prophetia explananda sit.“

Hac re Hieronymus legem artis rhetoricae sequitur. Apud Anon. Seg. pg. 428 (Spengel) est: *Εὐμάθειαν δὲ ποιεῖ προέκθεσις . . . . προέκθεσις μέν ἐστιν, ὅταν ἃ μέλλει τις λέγειν, ὡς ἐν κεφαλαίῳ προεκθῆται.* Quin etiam crimini est dandum scriptori prooemium, ex quo non eluceat, qua de re sit acturus, quod peccatum Quintilianus vituperat IV 1, 3: „Vitioseque in scholis facimus, quod exordio semper sic utimur, quasi causam iudex iam noverit.“ Nam Aristoteles docet (Rhet. III 14, 1415 a 12) prooemium esse *δεῖγμα τοῦ λόγου, ἵνα προειδῶσι, περὶ οὗ ᾖ ὁ λόγος καὶ μὴ κρέμηται ἡ διάνοια. τὸ γὰρ ἀόριστον πλανᾷ· ὁ δοὺς οὖν ὥσπερ εἰς τὴν χεῖρα τὴν ἀρχὴν ποιεῖ ἐχόμενον ἀκολουθεῖν τῷ λόγῳ,* et affert exemplum Homeri, qui utrumque carmen incipit ab argumenti indicatione.

Quo fit, ut omnia Hieronymi prooemia hunc usum exhibeant. Ne in iis quidem libris, qui propriis prooemiis carent, desideratur. Initium Comm. Ezech. II (M. 25, 51) est hoc: „Secundi explanationum in Ezechiel voluminis, o virgo Christi Eustochium, istud est exordium.“ Neque vero hoc potest prooemium nominari, cum sola indicatio argumenti non sufficiat ad illud explendum, sed oporteat alias res addi. Quarum in contextu si scriptor quasi praeteriens leviter perstringit argumentum libri, satis iam pronuntiat propositum suum. Huius generis multa sunt Hieronymi prooemia.

Postea intellegemus in commentariorum exordiis exponi solere prophetae, de quo est liber, nomen, patriam, parentes, aetatem, vitam, similia. Talia si disserit, ubi prophetam designat, per occasionem, ut ostendat de hoc esse agendum, adicit: „ad quem nunc aggredior“ vel „cuius librum nunc in manibus habeo“ vel similia. Sicut in Comm. Abacuc I (M. 25, 1273 B) nomen prophetae ab aliis corruptum corrigit atque etymologice explicat, deinde ut difficultatem huius libri demonstret, versum quendam tractat, qui idem apud alios prophetas invenitur, de quibus partim egit, partim postea aget. Atque pergit: „Nunc Abacuc habemus in manibus“ et nomen eius quomodo cum moribus consentiat, docet. Vel in prooemio Comm. epist. ad Titum (M. 26, 555) vituperat adversarios rectae fidei Christianae, qui epistulas Pauli alias prorsus non veras, alias multis locis depravatas iudicaverunt: „Ut enim de ceteris epistulis taceam, de quibus, quidquid contrarium suo dogmati viderant, eraserunt, nonnullas

integras repudiandas crediderunt, ad Timotheum videlicet utramque, ad Hebraeos et ad Titum, quem nunc conamur exponere." In Comm. epist. Eph. l. III denique legimus haec (M. 26, 513 C): ,,Satis abundeque . . . de argumento epistulae Pauli ad Ephesios in primi libri praefatione disserui . . . Nunc ergo, quoniam tertium, id est extremum in eandem epistulam dicto librum, iustum mihi videtur, ut . . . . doceam."

Nonnunquam Hieronymus in prooemiis, quae praefixit singulis magnorum operum voluminibus, disserit, quam sit difficile recte apteque libros inter se distinguere. Atque hac occasione data argumentum indicat et libri, qui sequitur, et librorum antea scriptorum vel postea scribendorum, sicut in prooemio Comm. Ezech. IV (M. 25, 109). Porro demonstrare solet, cur de hac ipsa re agat, et hoc modo titulum profert (Comm. Zach. I; M. 25, 1417 B) vel, cum verba facit de se ipso, leviter perstringit, quid libro contineatur. Saepius narrat in prooemiis gravissimo morbo vel aliis molestiis se diu fuisse impeditum, ne in litteris versaretur, sed tum novum initium se facere scribendi ab hoc opere, quidque tractaturus sit, proponit. Conferre licet transl. libr. Sal. praef. (M. 28, 1241): ,,Itaque longa aegrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum", et accuratius pronuntiat, quomodo singuli libri inscribantur et Hebraice et Latine. Vel in Comm. Ezech. III (M. 25, 75) profitetur se, cum multis Christianis, qui crudeliter vexati et omnibus bonis privati sedibusque expulsi in solitudinem eius monasterii confugissent, auxilium tulerit, a studiis omnino esse remotum: ,,Occupatique sancti operis sarcina . . . explanationes in Ezechiel et paene omne studium omisimus. . . . Unde rursus a te commoniti, o virgo Christi Eustochium, intermissum laborem repetimus et tertium volumen aggressi tuo desiderio satisfacere desideramus." Simillimum est prooemium eiusdem operis l. VII (M. 25, 199), item Comm. in Jonam prol. (M. 25, 1117). Alibi Hieronymus narrat antea iam adulescentem se eandem rem tractavisse et hoc modo breviter indicat, quid scripturus sit (Comm. Abd. prol.; M. 25, 1097). Titulum coniungit cum paucis verbis, quae facit de difficultate totius operis, vel cum dedicatione, cuius generis exemplum est prooemium Comm. Zach. I (M. 25, 1417 B): ,,Cumque tibi cuperem ingenioli mei aliquod offerre munusculum et coepta in duodecim prophetas explanatio perveniret ad calcem, susceptum opus deserere nolui, sed quod et absque te dictaturus eram, tuo potissimum nomini consecravi; et gaudeo, quod obscurissimus liber Zachariae prophetae et inter duodecim longissimus eo tempore disserendus est eqs."

Satis multa exempla sunt prolata. Iam intellegitur varium in modum Hieronymum significare, quid in animo habeat scribere, sed tamen omnibus prooemiis argumenti indicationem contineri. Aliorum vero scriptorum exempla hoc loco afferre supervacaneum mihi videtur esse, cum haec ratio ita sit pervulgata, ut non certos auctores eum secutum esse cognosci possit.

Argumenti autem indicatio non solum est necessaria in prooemiis, sed etiam artificium, quo alliciantur homines ad legendum. Nam maxime est idonea, quae cupiditatem discendi provocet; id quod ex praeceptis illis librorum rhetoricorum, quae supra laudavi, satis apparet. Qua de causa imprimis solet poni locis insignibus, id est in initio et in fine. Initio enim studium lectoris praecipue debet incitari, in fine autem, ubi transitus fit ad librum ipsum, optime hac ratione adducitur ad rem.

Multis in prooemiis Hieronymus in ipso initio argumentum libri indicat. Paulo diutius in hac re versatur in Comm. Abacuc II (M. 25, 1273): ,,Alterum, mi Chromati, ... in Abacuc librum scribimus'', et accuratius exponit, quid hoc libro contineatur. Item in Comm. Ezech. XI (M. 25, 325) docet, quo usque liber, quem in interpretando propheta aggreditur, processurus sit: ,,Undecimus in Ezechielem explanationum liber in extrema sui parte contra Gog et Magog vaticinium continebit et usque ad exordium civitatis in monte positae et templi in ea siti veniet.''[1])

Plerumque autem simplex argumenti indicatio tanta est brevitate, ut ne primum quidem pronuntiatum digne expleat. Qua de causa ei admisceri solent aliae res. Velut saepe nomen solum eius prophetae, de quo acturus est, insigni loco toti prooemio praemittit et pauca addit de eius vita, operibus, temporibus vel similia. Sic est initium praef. in Ezech. (M. 28, 937): ,,Ezechiel propheta cum Ioachin rege Iuda captivus ductus est in Babylonem eqs.'' Nomine, quod consulto in ipso principio protulit, indicat propositum suum. Aequum est in Comm. Dan. prol. (M. 25, 491). Nonnumquam adicit pauca, e quibus apparet hoc modo titulum totius operis significari, sicut in praef. in Jerem. (M. 28, 847): ,,Jeremias propheta, cui hic prologus scribitur eqs.'' Hand aliter res se habet in Comm. Mich. I (M. 25, 1151): ,,Michaeas, in quem nunc commentarios dictare cupio eqs.'' Conferre licet Comm. Malach. (M. 25, 1541), ubi nomen etiamsi non primo, tamen insigni loco ponitur.

Manifestum est hoc modo statim eum animos hominum legendi cupidos reddere, cum plane dicat iam primis verbis, qua de re sit acturus. Prodest igitur hic usus ad lectorem faciendum docilem. Qua de causa multi scriptores inveniuntur, qui eum adhibuerunt. Ex Ciceronis libris, quos Hieronymus saepe secutus est[2]), laudo partit. orat., Tusc. disp. V, de nat. deor. I, ex historicis scriptoribus Livii praef. 1, Appiani *Ῥωμαικῶν* prooemium, Flavii Iosephi de Bello Iud. I, ex didacticis Xenophontis *περὶ ἱππικῆς* l., auctoris ad Her. IV, Valerii Maximi I. Nomine in initio prolato argumentum pronuntiatur in Taciti Germania: ,,Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danuvio fluminibus separatur'', qua re Tacitum imitatum esse constat illud Caesaris: ,,Gallia est omnis divisa eqs.'' (B. G. I). Laudari potest etiam Xenophontis Anabaseos initium, quod est: *Δαρείου καὶ Παρυσάτιδος γίγνονται παῖδες δύο, πρεσβύτερος μὲν Ἀρταξέρξης, νεώτερος δὲ Κῦρος.* Quamquam his

[1]) cf. Diodor. Sic. XI.

[2]) cf. E. Lübeck: Hier. quos noverit scriptores et ex quibus hauserit. Lips. 1872, pg. 128 sqq.

libris non proprie prooemia sunt praefixa, cum scriptor statim in medias res progrediatur.

Indicatio argumenti coniungi potest etiam cum dedicatione, atque hanc formam incipiendi Hieronymus maxime excoluit. Tale est initium Comm. Jes. XVIII (M. 24, 627 A): ,,Duodevicesimus in Jesaiam, immo extremus liber tuo, o filia Eustochium, ... nomini dedicatur.“ Vel eiusdem operis l. XVII incipit ab his verbis (M. 24, 585 B): ,,Quanta mysteria septimus post decimum numerus, ad quem nunc Explanationum in Jesaiam pervenit liber, in Scripturis sanctis contineat, vellem, virgo Christi Eustochium, brevi sermone percurrere.“ Similiter legimus in Comm. epist. Gal. III (M. 26, 399): ,,Tertium ad Galatas, o Paula et Eustochium, volumen hoc cudimus . . . .“ cf. Plinii Nat. Hist. I, 1. Alia dedicationis forma, quae ab Hieronymo saepissime adhibetur, cum indicatione argumenti in initio coniungitur in Comm. epist. Eph. II (M. 26, 475): ,,Secundum orationibus vestris, o Paula et Eustochium, ad Ephesios aggredimur librum.“

Saepissime autem docet amicorum voluntati se obsequi, cum librum scribat. Etiam hac ratione titulum profert accurate et paucis verbis. Velut est in l. de viris illustr. prol.: ,,Hortaris, Dexter, ut . . . . ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram et . . . . ut a passione Christi usque ad quartum decimum Theodosii imperatoris annum omnes, qui de Scripturis sanctis memoriae aliquid tradiderunt, tibi breviter exponam.“ Non multum differt initium prologi transl. Homil. Orig. in Jerem. et Ezech. (M. 25, 583): ,,Magnum est quidem, amice, quod postulas, ut Origenem faciam Latinum eqs.“ Aeque res se habet in dial. adv. Pelag. prol. (M. 23, 495) vel in Comm. Jes. I (M. 24, 17), et multa alia huius generis sunt exempla, quae enumerare longum est. His autem omnibus locis una cum dedicatione adhibetur argumenti indicatio. Ne hac quidem re Hieronymus ab aliis scriptoribus arte rhetorica imbutis discedit. Mitto cum ad alios tum ad auct. ad Her. I, ad Ciceronis partit. orat., ad Senecae dial. I, Vitruvii l. I.

Alia ratio argumentum indicandi non minus usitata invenitur in prooemio vitae S. Hilarionis (M. 23, 29 A), quod incipit ab his verbis: ,,Scripturus vitam beati Hilarionis habitatorem eius invoco Spiritum sanctum, ut qui illi virtutes largitus est, mihi ad narrandas eas sermonem tribuat eqs.“ Sequitur in hac re usum poetarum epicorum vel didacticorum, qui plerumque, si in initio propositum suum proferunt, simul a deis vel musis petunt, ut se adiuvent in conscribendo opere. Praeclarissima exempla sunt carmina Homeri, quibuscum omnia huius generis libri magis minusve consentiunt (cf. G. Engel, pg. 9—14, 41).

Nonnunquam velut in Comm. epist. Gal. III (M. 26, 399) ita pergit, ut de se ipso verba faciat aut exponat, quos auctores secutus sit, vel similia. Saepius etiam disserit, quem locum liber, quem in manibus habet, teneat in contextu totius operis, quid ei propositum sit quomodoque cum tota quaestione investiganda cohaereat, ut in Comm. Jes. VII (M. 24, 239): ,,Septimus liber

idem iuxta anagogen secundus est, immo extremus. In hoc enim decem visionum tropologica explanatio terminatur." Simile est initium eiusdem operis l. VIII (M. 24, 281 A—B), vel in Comm. Ezech. XIII legimus (M. 25, 405 B): ,,Tertius decimus Explanationum in Ezechielem liber secundus est expositionis templi." Par invenimus in Comm. Jes. VI (M. 24, 205 C—D): ,,Quod in praecedenti volumine pollicitus sum, ut super fundamenta historiae .... spirituale exstruerem aedificium et imposito culmine perfectae ecclesiae ornamenta monstrarem (ad verbum repetit, quod dixerat in prooemio l. V), hoc in sequentibus duobus libris ..... facere conabor, ut eodem labore, quo quintus liber historiam comprehendit, sextus et septimus perstringat anagogen." — Hoc modo scriptor revocat lectorum animos ad id, quod omnino tractandum sibi proposuit et quod usque eo tractavit, ut addat, quid proximo libro contineatur. Hunc usum etiam apertius adhibet. Saepius enim occurrunt initia huius generis: ,,Hucusque de criminibus, immo pro criminibus meis ... respondi. ... Veniam ad apologiam eius, qua sancto Anastasio .... satisfacere nititur." (Apol. adv. Ruf. II, M. 23, 425). Interdum hoc invenitur etiam in medio prooemio, ut in Comm. Ezech. V (M. 25, 141), ubi initio exposuit se singulis libris prooemia praefixisse, ne ordo librorum confunderetur, atque pergit: ,,In praeterito igitur volumine, id est quarto, partem prophetiae, cuius istud exordium est: .... usque ad eum locum, ubi scriptum est: .... ut potui brevi sermone disserui. Nunc eiusdem prophetiae pars reliqua cum ceteris, quae sequuntur, quinto volumini et tuo, Eustochium, nomini dedicatur." Simillimum est prooemium Comm. Ezech. X (M. 25, 295). Nonnunquam satis habet numerum indicare libri, quem perfecit, neque accuratius repetit, quid eo contineatur. Hoc est initium Comm. Jes. II (M. 24, 57): ,,Finito in Jesaiam primo volumine .... (de ratione dicit, qua scripsit illum librum) ..... nunc transcendam ad secundum eqs."

Haec quoque ratio, quae tamen non ita frequens est in prooemiis Hieronymi, consentit cum aliorum scriptorum exemplis. Intellegitur eam non adhiberi nisi in secundo, tertio, ceteris totius operis voluminibus, cum in prooemio libri primi nihil sit, quod scriptor repetat. Sed in libris sequentibus usitatissima et aptissima est. Atque maxime convenit scriptoribus didacticis et historicis. Exempli causa profero Varronis de lingua Lat. V et VI, auct. ad Her. III, Vergili Georg. II, 1—3. Ex Ciceronis libris cum alii possunt laudari tum de off. II 1, 1 et de fin. III 1, 1—2. Maxime autem in historicorum librorum prooemiis occurrit. Sic est in Polybii l. II, III, Diodori Sic. II, III, Livii l. VI, multo saepius. Ad eloquentiam vero iudicialem hic usus minime pertinet. Qua de causa in artis rhetoricae libris non inveni locos, quibus de ea praecipiatur[1]). Tamen cur hoc modo scriptores antiqui relegent ad ea, quae antea tractaverunt, facile intellegitur. Certe notum est lectori argumentum libri

[1]) Idem semper observamus. Quicumque usus non oratori aptus est, a viris doctis non postulatur. Tamen quin rhetoricum eum censeamus, dubitare non possumus, quippe quo idem perficiatur, quod prooemio summa arte instituto propositum est.

praecedentis. Sed si eius rei meminerit, quam scriptor iam cum eo communicavit, excitabitur in eo consensus cum illo quidam et benevolentia erga eum, et cupiditate plura legendi accensus maiore cum studio ad sequentem librum accedet. Simul malumus rei cuiusdam, quam novimus, scientiam amplificare, quam prorsus ignotae atque obscurae operam dare. Summae igitur est utilitati prooemii initium sumere ab iis, quae antea disputata sunt quaeque lector iam cognovit. Profecto adhibetur hic usus saepissime in ipso prooemii initio, id quod exempla docent; neque vero necesse est in ceteris eius partibus eum vitari; quin etiam saepe sub ipsum finem, id quod non minus exemplis apparet, scriptores hac ratione usi sunt.

Non multum distat alius locus, quem invenimus in dialogis. Libro enim secundo, tertio, sequentibus colloquium nullo spatio intermisso perducitur et aliquis ex iis, qui adsunt, ei, qui libro priore sententiam suam demonstravit, aliquid obicit. Laudat orationem eius atque argumentum breviter revocat, sed quid sibi dubium sit, profert; cui rei libro sequenti respondetur. Obiectio igitur est argumenti quaedam indicatio coniuncta cum repetitione earum rerum, quae antea tractatae sunt. Dial. adv. Pel. II (M. 23, 534—535 A) incipit ita: „Multa quidem de Scripturis sanctis memoriter copioseque dixisti . . . . . , sed quid ad rem? His enim cunctis testimoniis videris hominum accusare naturam ac per hoc invidiam referre in Deum, si tales homines condidit, ut oblivione et ignorantiae peccato carere non possint eqs.“ Simile est etiam in sequenti libro III (M. 23, 569 A). Sed huius generis initia vix possunt nominari prooemia, cum dialogus omnino non interrumpatur.

Unde noverit Hieronymus hunc usum, non inveni. Nam quod idem, qui in libro priore locutus est, etiam posteriore reprehensum illud refutat, in dialogis Ciceronis, quem alibi maxime sequitur, talia non legimus, quippe qui in novo volumine semper novam personam inducat verba facientem. Ceteros autem, qui antiquis temporibus dialogos conscripserunt, minus videtur novisse excepto Seneca, qui ipse quoque hac ratione non utitur nec veros scripsit dialogos.

Iam satis est explorare argumenti indicationem in initio positam. Alter prooemii locus insignis, quo praecipue, ut animos intendant hominum ad rem, scriptores spectare debent, est ipse finis. Ibi enim transitus fit a prooemio ad ipsum librum. Id autem „debebit in principio postremum esse, cui commodissime iungi initium sequentium poterit“ (Quint. IV 1, 76). Ad hoc autem maxime idonea est argumenti indicatio. Atque consentaneum est reliquum prooemium ita esse instituendum, ut contextu sententiarum non interrupto titulus in fine positus quasi sua sponte emanet ex iis, quae antea prolata sunt.

In Comm. Jes. XV (M. 24, 513) Hieronymus investigat, ubi verba libri Hebraici et Septuaginta interpretum inter se dissentiant, utra memoria utri sit praeferenda. Qua quaestione dissoluta pergit: „Hoc diximus, quia praesens

capitulum, cum in sensu unum sit, in verbis discrepat. A cuius explanatione quintus post decimum in Jesaiam liber incipit.“ Aequum est prooemium Comm. Jes. XIV (M. 24, 477). Narrat enim initio ex gravissimo morbo se esse recreatum auxilio Dei, deinde Eustochium, cui opus mittit, rogat, ut precibus se adiuvet in conscribendo libro. Qua in re cum alios Scripturae sanctae locos affert, tum capitui, quod interpretaturus est, versum primum. „Quod testimonium quarti et decimi in Jesaiam libri, quem nunc disserere cupio, principium est.“ Simili modo transgreditur ad argumentum in Comm. Amos II (M. 25, 1023 B), ubi dicit de commodis et incommodis senectutis, ad quam iam pervenit. Appellat in extremo prooemio Pammachium, ad quem scribit, qui ipse quoque iam aetate confectus est, et cum auxilium petat eius orationum, titulum proponit libri sequentis. Non minus sollerter a quaestione, quam disserit, quo melius liber intellegatur, transit ad rem ipsam in Comm. Jerem. VI 1, 4 (C S E L 59, pg. 368).

Prooemium igitur satis alienum est a proposito; qua de causa transitu aliquo scriptori opus est, atque ad id argumenti indicatione utitur. His locis satis apte titulum coniungit cum re, quam antea in prooemio tractavit. Nonnumquam autem, si nimis aberravit, cum sermone continuo iam non reverti possit, breviter orationem interrumpit, argumentum libri sequentis profert, tractationem ipsam incipit. Cuius rei multa sunt exempla. In prooemio Comm. Jes. XI ipse se defendit Hieronymus a criminibus invidorum, qui alios commentarios, quos antea de Daniele propheta scripsit, vehementissime vituperaverunt. Ad extremum non potest recte transire ad argumentum huius libri, id quod satis difficile esse apparet; pergit igitur abrupta oratione (M. 24, 378 B): „Sed haec alias; nunc quod coepimus exsequamur. Undecimus in Jesaiam liber eqs.“ Apertius quam locis supra allatis intellegitur hoc loco argumenti indicationem nihil aliud spectare, nisi ut brevem transitum faciat ad ipsam tractationem, quia recto tenore ad eam labi non potuit. In Comm. Ezech. VIII (M. 25, 251) ostendit, quantopere ipse delectetur prophetis interpretandis, et queritur studia et amores hominum, qui res perituras sectentur. „Haec, virgo Christi Eustochium, ex cordis abundantia os locutum sit, et paulo liberius, quam humilitati nostrae convenit, dixerimus. Ceterum octavus in Ezechielem liber, qui . . . . . continet, ... hoc habebit exordium.“ Item res se habet in Comm. Abd. prol. (M. 25, 1099A), ubi narrat adulescentem se iam de eodem propheta temere scripsisse. Alios scriptores, qui ipsi quoque opera, quae adulescentes audacter ediderunt, postea, cum aetate floruerunt, ut prorsus indigna condemnaverunt, ut Ciceronem, Quintilianum, alios enumerat, cumque rem ipsam aggressurus aptum transitum non inveniat, perpetuam orationem intermittit: „Sed iam tempus est proponere exordium Abdiae eqs.“ Non longe differt Comm. Mich. II (M. 25, 1189).

Hunc usum indicandi argumentum in extremo principio adhiberi, ut transitus facilis fiat ad librum, apparet vel ex eo, quod inveniuntur prooemia, in quibus bis Hieronymus argumentum indicat. In ipso initio id profert vel

in medio prooemio, deinde de rebus loquitur longe aliis, atque cum iam non reverti possit ad propositum, nisi audacter quasi transiliens ad rem, breviter prooemium interrumpit, denuo titulum annuntiat, librum ipsum incipit. Tale est exordium Comm. Zach. I (M. 25, 1417 sq.), ubi argumenti indicatio media in oratione cum dedicatione coniuncta usurpatur; deinde autem Hieronymus verba facit de aliis scriptoribus, qui idem tractaverunt, exponit, qua via ac ratione ipse progressurus sit in scribendo, addit nonnulla, quibus eum solum appellat, cui opus dat, postremo, ut revertatur: „Sed iam tempus est, inquit, ut Zachariae verba ponentes Spiritui sancto interpretationis vela pandamus.“ Aliud huius rei exemplum est Comm. Ezech. XIII (M. 25, 405), cuius initium supra posuimus (pg. 12); in sequentibus verbis Hieronymus loquitur de adversariis suis, de difficultate operis, modestiam prae se fert, finem denique facit his verbis: „Igitur tertium decimum in Ezechiel arripiamus librum, cuius hoc principium est.“ Par est in Comm. Jes. XVIII (M. 24, 627).

Certe quod Hieronymus hoc modo abrupte orationem intermittit, ut titulum proferat in prooemio extremo, non est laudandum. Nam semper id debent spectare scriptores, ut loci, quibus utuntur, apte et continuo inter se cohaereant. Recte igitur prooemium compositum est, quo paulatim sine ulla vi lectores adducantur ad rem, velut si incipit scriptor a rebus quibusdam generalibus, quibus omnes commoventur, deinde paulo angustius describit circulum ad certam rem animos vocans, denique in extremo prooemio brevissimis verbis propositum suum indicat. Huius generis est l. de fin. I prooemium, ubi Cicero initio universam philosophiam laudat, eamque lingua Latina tractandam se suscepisse profitetur, deinde exponit, qua de re omnino hoc opere sit acturus, id est de summo bono summoque malo; in hac re autem investiganda ordiendum esse ab iis, quae sint facillima, ab Epicureorum praeceptis; quae primo libro illustravit. Quidquid autem disserit scriptor in prooemiis, sive initium sumit a sua persona, sive ab inimicis, sive a sententia quadam trita, sive a rebus, quas profert, ut facilius intellegatur liber, vel similibus, semper postremo oratio est ita instituenda, ut ad argumentum libri apte et facile transgrediatur. — Sallustius in l. de Coniur. Cat. prooemio ostendit, quanto praeclarius et homine dignius sit imperio virtutis oboedire quam servitio ventris se dedere atque corporis voluptatibus. Pulcherrimum autem esse aut ipsum de republica bene mereri aut aliorum praeclara facta celebrare. Qua de causa postquam adulescens rei publicae administrandae se dederit, nunc rerum gestarum memoriam se scribere. „Igitur de Catilinae coniuratione, quam verissime potero, paucis absolvam; nam id facinus imprimis ego memorabile existumo sceleris atque periculi novitate.“ — Varro in rer. rust. II initio universam laudat agriculturam et dicit in extrema parte prooemii: „. . . . quoniam de agricultura librum Fundaniae uxori . . . . . feci, tibi, Niger Turrani noster, qui vehementer delectaris pecore, ... de re pecuaria breviter ac summatim percurram eqs.“ Similis est finis prooemii eiusdem operis libri III. — Tacitus in Annalium prooemio brevissime omnem populi Romani rerum

gestarum memoriam respicit; de temporibus longius remotis multos iam scriptos esse libros dicit. „Inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera sine ira et studio, quorum causas procul habeo."

His omnibus exemplis et multis aliis probatur argumenti indicationem re vera saepe in fine prooemiorum poni, qua transitus fiat ad rem. Habemus eam rationem, quam rhetoricae artis praeceptores nominant *προέκθεσιν* vel propositionem, quae in orationibus iudicialibus in fine narrationis vel etiam principii solet adhiberi[1]), in aliis autem libris, ubi deest narratio, velut in historicis, in fine exordii. Hic usus apud Hieronymum saepe occurrit. Sed solutis ligamentis, quae argumenti indicationem conectunt cum prooemio, quasi obriguit, atque locutionibus quibusdam certis utitur ad transitum faciendum, qualibus: „Sed iam tempus est me . . . . proferre" vel similibus. Neque vero nimis crimini est dandum, quod in hac re lapsus est; nam ne praeclarissimi quidem scriptores nonnumquam hoc vitium effugerunt. Idem Sallustius, cuius libri de Coniur. Cat. prooemium supra laudavimus, in exordio l. de B. Iug. summis laudibus effert historiam, qua homines suae aetatis mores corruptos indignantes ad praeclara maiorum facta revocentur. In describendis autem moribus horum temporum depravatis paulo longius versatur atque aberrat, id quod ipse confitetur: „Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque. Nunc ad inceptum redeo." Et iam indicat argumentum huius libri. Item est in Catonis de agric. l. praef. 4, atque etiam in Ciceronis Top. 1, 5 vel in l. de divin. II 2, 7.

Cum propositione arte cohaeret alius usus rhetoricus, ad quem illa saepe excolitur. In extremo enim prooemio non solum totius operis argumentum profertur, sed etiam in complures partes dividitur, quidque singulis capitulis libri tractandum sit, indicatur. Hac ratione partitionis, quam artis rhetoricae praeceptores vocant, Hieronymus, quamquam non prorsus eam ignorat, raro tamen utitur. E. g. in iis libris, quibus enititur, ut sententiam adversarii cuiusdam refellat, partitionem sui operis accommodare solet libro illius, cuius dicta breviter proponit; quae ut ex ordine refutet, se operam daturum esse pollicetur. Sicut in prooemio l. adv. Iov. I vehementissime invehitur in inimicum et acerbissime ei maledicit. In extremo autem capite tertio legimus (M. 23, 214 A): „Proponam breviter adversarii sententias. . . . . . Pateat, quod noxium est, ut possit conteri, cum patuerit. . . . . . (Sequuntur sententiae illae). . . . . Haec sunt sibila serpentis antiqui, his consiliis draco de paradiso hominem expulit. . . . . Sed ne lectorem diutius morer, sequar vestigia partitionis expositae et adversus singulas propositiones eius Scripturarum vel maxime nitar testimoniis."[2]) Idem, sed multo brevius, cum etiam omittat enumerationem partium eius libri, contra quem disputat, est in Apol. adv.

---

[1]) cf. Volkmann, Rhetorik der Griechen u. Römer², pg. 167.

[2]) cf. Ciceronis pro A. Cluent. 1, 1.

Ruf. l. III § 3 (M. 23, 459 A)[1]. Non multum differt l. de situ et nom. (M. 23, 860 A); quamquam hoc loco non dicit de dissertatione adversarii, tamen in disponendis singulis rebus se aliud opus, Scripturam sanctam secuturum esse exponit.

Porro ad hunc usum spectant enumerationes illae omnium capitum, quas instituit finito prooemio, priusquam tamen ad tractationem ipsam accedit. Tales capitulationes, quae nominantur, sunt in l. de viris illustr. et in Veteris Testamenti libris, quos vertit, historicis. Similes sunt Canones Evangeliorum, qui dicuntur, quos Eusebium Caesariensem secutus translationi quattuor Evangeliorum praefatione perfecta praefixit.[2])

Non longe abest proprium Comm. in Jes. V prooemium, si excipis epistulam illam parvam toti operi antepositam, qua librum multo prius conscriptum ad amicam mittit. Statim enim titulum profert dissertationis, cum familiarem quendam alloquitur, et de difficultate operis planius verba facit. Pergit autem (M. 24, 155 A): „Proposuisti de Jesaia Visionem Babylonis et Philisthiim eqs.“; omnes visiones singillatim enumerat et paulo longius ostendit rationem libri sui. Finem facit: „Incipiamus ergo a Babylone.“ In hoc quoque prooemio partitio quaedam inest, quamquam non in extremo neque tam aperte, quam alii scriptores hoc artificio utuntur.

Si hoc modo accurate homines discunt, quid non modo toto libro, sed etiam singulis eius partibus contineatur, nemo dubitat, quin multo cum maiore studio ei operam dent. Partitio est quasi dux, quam si sequuntur, facile intellegunt totius operis contextum. In dissertatione autem lucida atque perspicua legenda libenter solemus versari. Qua de causa etiam arte rhetorica praescribitur hic usus. Relego ad locum, quem partim supra protuli (pg. 8): *Εὐμάθειαν δὲ ποιεῖ προέκθεσις, ἀνανέωσις, μερισμός. .... μερισμὸς δέ ἐστιν εἰς μέρη περιγραφὴ τῶν ὅλων πράξεων* (Anon. Seg. pg. 428 Spengel), vel ad auct. ad Her. I 4, 7: „Attentos habebimus (scil. auditores), ... si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus.“ Scriptores autem hoc praeceptum saepe esse secutos, non est, quod accuratius demonstrem; satis est commemorare exemplum Varronis, qui in libris suis praecipue studuit perspicuitati (cf. Rer. rust. I 1, 11; III 1, 9; de lingua Lat. V 1, 1). Item est in Ciceronis de inv. I 4, 5 fin.; de nat. deor. II 1, 3; Cat. M. 5, 15; Lael. 4, 16; in Vergili Georg. I 1—5, Diodori Sic. I 4, 6—5, 1.

Ut autem Hieronymus hunc usum partitionis non frequentet, hac re puto effici, quod plurimi eius libri sunt commentarii vel translationes, in quibus non ad suum arbitrium partitionem facere poterat, sed librum, quem interpretabatur vel convertebat, accurate sequi debuit. Neque vero desunt in Hieronymi prooemiis loci, quibus planius exponit, qua de re sit acturus

[1]) cf. Cic. de nat. deor. III 1, 5.

[2]) Eadem ratione utitur C. Plinius Secundus, cuius in Nat. hist. l. I excepto prooemio nihil nihil nisi indicatio argumentorum, quae toto opere tractantur. Quae secundum ordinem singulorum librorum enumerantur additis auctoribus, a quibus Plinius quaeque se didicisse confirmat.

in libro, quique aliqua ex parte spectant ad partitionem. Velut legimus in praef. quatt. Evang. (M. 29, 527 B): ,,Igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur quattuor tantum evangelia, quorum ordo est iste: Matthaeus, Marcus, Lucas, Johannes.“ Saepius ostendit difficultatem totum opus apte dividendi in singulos libros et hac occasione data indicat, quid et in hoc libro et in sequenti sit tractaturus. E. g. in prooemio Comm. Ezech. IV (M. 25, 109) est: ,,Unde et nunc contra prophetas et prophetias, ad seniores quoque populi Israel, et ad terram, super quam inducuntur quattuor plagae pessimae et de ligno vitis . . . ., catalogus etiam vitiorum Jerusalem volumus quarto libro comprehendere. Quem quia unius voluminis non patitur angustia, alteram partem eius quinto volumini reservamus.“ Simile est prooemium eiusdem operis l. IX (M. 25, 265), ubi respicit ad argumentum l. VIII et accurate docet, qua de re sit et hic liber IX et is, qui tum sequitur X. In aliis operibus, in quibus auctoritatem aliorum scriptorum sequitur, Hieronymus dicit se eorum libros supplevisse, cum quid novi adiunxerit, ne iam deesset, quod illi omiserunt. Sic est in prooemio Chronicorum, quae vertit ab Eusebio (ed. Helm, pg. 6,19 sqq.): ,,Sciendum etenim est me et interpretis et scriptoris ex parte officio usum, quia et Graeca fidelissime expressi et nonnulla, quae mihi intermissa videbantur, adieci in Romana maxime historia . . . . . Itaque a Nino et Abraham usque ad Troiae captivitatem pura Graeca translatio est. A Troia usque ad vicesimum Constantini annum nunc addita, nunc admixta sunt plurima, ... a Constantini autem supra dicto anno usque ad consulatum Augustorum Valentis sexies et Valentiniani iterum totum meum est.“ Non aliter res se habet in praef. l. de nom. Hebr., in quo Philonis Iudaei auctoritate nititur (M. 23, 772): ,,Ac ne forte consummato aedificio quasi extrema deesset manus, Novi Testamenti verba et nomina interpretatus sum.“ Simile legimus in l. adv. Iov. I (M. 23, 215 A). — Aliis locis, ubi libros quosdam interpretatus est vel in linguam Latinam transtulit, profitetur se partem quandam omisisse, quod non vere sibi memoriae tradita visa sit, sed errore aliquo pro Scripturis sanctis substituta. Tale est fragmentum praef. in l. Sal. j. LXX Interpr. (M. 29, 404), ubi accurate argumentum profert et exponit codicum veterum memoriam se summa cum diligentia correxisse atque ordinem librorum restituisse: ,,Porro in eo libro, qui a plerisque Sapientia Salomonis inscribitur, et in Ecclesiastico, quem esse Jesu filii Sirach nullus ignorat, calamo temperavi, tantummodo canonicas Scripturas vobis emendare desiderans eqs.“ Item est in transl. Jerem. (M. 28, 848) et Comm. Jerem. prol. 2 (C S E L 59, pg. 3). Tandem relego ad l. de viris illustr., ubi exeunte prooemio se excusat, si quos praeterierit scriptores aequales, non sua culpa, sed eorum ipsorum id fieri (ed. Herding, pg. 2, 8—15): ,,Si qui autem de his, qui usque hodie scriptitant, a me in hoc volumine praetermissi sunt, sibi magis quam mihi imputare debebunt. Neque enim celantes scripta sua de his, quae non legi, nosse potui, et quod aliis forsitan notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendia suspirabunt.“

Sequitur, ut agam de nonnullis prooemiis, ubi Hieronymus plane multis verbis usus argumentum profert. Longe maxima pars exordii hac re occupatur. Velut in dialogi adv. Pelag. prol. (M. 23, 495) accurate proponit, qua de re sit quaestio, verbose disserit adversariorum, quos refutare studet, opiniones; indicat, ubi eorum praecepta inveniantur scripta, similiaque communicat. Hoc prooemium certe maxime idoneum est, quod lectorem docilem reddat. Neque crimini est danda Hieronymo haec amplitudo verborum, cum de re difficillima sit disputatio. Nam multo facilius intellegere possunt homines, quid sibi velint singuli loci in tractatione, cum primo in universum didicerunt, quid valeat tota res in discrimen vocata.

Hic usus accurate argumentum illustrandi in prooemio non alienus est a scriptoribus arte rhetorica imbutis. Maxime scriptores historici initio breviter circumscribere solent, quod libro sequenti sunt tractaturi. Cf. Diod. Sic. XVI 1, 3—6; Flav. Ios. de B. Iud. I 19—29. Praecipue autem Polybius favet huic rationi προεκθέσεως, quam vocat. Laudat eam in l. XVI praef. 2—5; atque saepissime ea utitur, sicut in l. III 1, 3—5, 7.

Magnum autem periculum latet in ea. Prooemia enim, in quibus tanta cum copia verborum de argumento totius libri agitur, ut iam omnia vel multa praecipiantur, quae in libro ipso sunt proferenda, quin vitio scriptori demus, facere non possumus. Quintilianus dicit Inst. or. IV 1, 3: „Certe prooemium est, quod apud iudicem dici prius, quam causam cognoverit, prosit.“ Unde apparet in eo nihil inesse debere, quod in tractatione ipsa illustrandum est. Quod si scriptor iam in prooemio anticipavit, aut repetendum ei est suo loco, id quod vituperatione dignum est, aut praeterire debet in tractatione, id quod non minus vitiosum esse intellegitur, cum ab omnibus partibus propositum prorsus explanare debeat scriptor insignis.

Quamquam non semper tam severe iudicaverunt magistri legis rhetoricae. Idem Quintilianus docet IV 1, 26: „Aliqua ergo nonnumquam, quae erunt ad conciliandum nobis iudicem potentissima, non inutiliter interim ex quaestionibus in exordio locabuntur.“ Hic usus apud Hieronymum saepius occurrit; sicut in transl. S. Pach. regulae prooemio exponit vitam monachorum Aegyptiorum exemplo esse debere aliis monasteriis; qua de causa se hanc regulam Pachomii, qua eorum praecepta continerentur, in linguam Latinam vertisse. Deinde autem accurate describit rationem vivendi horum monachorum, id quod explet § 2—8, cum totum prooemium complectatur novem paragraphos. Vel ex eo elucet multo amplius, quam oportebat, Hieronymum de hac re verba fecisse, praesertim cum omnia, quae profert de vita, institutis, moribus monachorum, etiam in ipsa regula, quam vertendam sibi proposuit, insint. Ipse videtur sentire se paulo longius processisse in argumento indicando, quamquam non aperte confitetur. Legimus enim in fine: „Cetera autem, quae in eorum tractatibus continentur, praelibare nolui, ut in suis discantur auctoribus et de fontibus potius quam de rivulis bibant, quos sanctae conversationis studia delectant.“ (v. Diod. Sic. XVI 1, 6).

Aliis locis non de totius libri argumento dicit, sed tantum, quid initio sit tractaturus, accurate profert. Tale est Comm. Jes. III prooemium (M. 24, 91), ubi prope ad verbum vertit proximos versus ineunte tractatione interpretandos. Etiam hoc genus prooemii crimini ei est tribuendum. Nam primum quidem non ad totum opus pertinet exordium, sed tantum ad exiguam primam partem, deinde hi omnes versus, quos in prooemio protulit, iterum ei sunt disserendi eadem cum diligentia, cum ad ipsam interpretationem progressus est. Non aliter se res habet in Comm. Osee I (M. 25, 815 sqq.), cuius in principio, ut obscuritatem prophetae et difficultatem explanandi huius libri ostendat, eam visionem, quae narratur in capite primo, amplissime illustrat, quidque sibi velit, docet. Quin etiam, quae sibi obici fingit, refellere studet. Hanc autem partem esse prooemii, non ipsius tractationis apparet ex eo, quod Hieronymus finem facit huius dissertatiunculae, cum dicit: „Haec in principio prolixius sum locutus, ut difficillimam primum solverem quaestionem." Enumerat omnes scriptores, qui iam de hoc propheta egerunt, et quomodo eorum libris usus sit, exponit. Denique abrupte finem facit: „Sed iam tempus est, ut prophetae verba ponentes ea, quae scripta sunt, disseramus." Apparet Hieronymum hac disputatione intermissa exordium magnopere auxisse, sed anticipavisse aliquid, quod in ipso libro ei tractandum erat. Qua de causa cum paulo post hanc visionem, de qua egit in prooemio, prorsus explanet, relegat ad prooemium (M. 25, 823 C): „De Salvatoris et Ecclesiae typo in praefatiuncula diximus." Locos igitur inter se cohaerentes separat, cum visionem partim in prooemio, partim in ipso libro tractet.

Manifestum est omni modo scriptorem studere simplicem tituli indicationem amplificare, quae brevissimis verbis prolata satis arida est. Atque hac re commovetur, ut varia exponat de proposito suo in prooemio, neque tamen ea, quae ut necessaria ad illustrandam rem in ipsa tractatione ponenda sunt, sed quae arte cum argumento cohaerent atque spectant, ut facilius percipiatur liber. Hoc genus prooemii saepissime invenitur apud Hieronymum cum in aliis operibus tum in iis, quibus libros Scripturae sanctae interpretatur vel convertit. Prophetarum enim visiones difficillimae sunt intellectu. Quae multo facilius a lectoribus perspiciuntur, si antea didicerunt, qua in condicione fuerit propheta, cum scriberet; id quod certe non in ipso libro habet suum locum, tamen lectori magnae est utilitati. Nam apparet vel inde multa, quae libri prophetae propria sunt, facile explicari. Fundamentum quasi totius disputationis hoc modo iacitur, cum in ipsa tractatione scriptor de his rebus dicere debeat, tamquam notae sint. — Quadecausa Hieronymus saepissime docet in prooemiis talium librorum, quando propheta vixerit, quo in statu fuerit tum populus Iudaeorum, cui ille prophetavit, quibus parentibus ortus sit, similia. Velut demonstrat in Comm. Agg. prol. (M. 25, 1387) secundo anno Darii regis Persarum Iudaeos auctoribus Aggaeo et Zacharia, qui iis temporibus prophetae exstiterunt, rursus coepisse templum exstruere, quod

usque ad id tempus deletum fuerat, et addit haec: „Hoc propterea, o Paula et Eustochium, diximus, ut de ipso statim titulo, qua aetate Aggaeus propheta cecinerit, agnoscatis.“ Similis est transl. Jerem. prol. (M. 28, 847 C): „Jeremias propheta, cui hic prologus scribitur, sermone quidem apud Hebraeos Jesaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est. . . . . . Porro simplicitas eloquii de loco ei, in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathothites, qui est usque hodie viculus tribus ab Hierosolymis distans milibus; sacerdos ex sacerdotibus et in matris utero sanctificatus . . . Hic vaticinari exorsus est puer et captivitatem urbis atque Iudaeae non solum spiritu, sed et oculis carnis intuitus est. Iam decem tribus Israel Assyrii in Medos transtulerant. Iam terras earum coloniae gentium possidebant. Unde in Iuda tantum et in Benjamin prophetavit et civitatis suae ruinas quadruplici planxit alphabeto eqs.“ Huius generis prooemia apud Hieronymum saepe inveniuntur; cum alia possunt laudari tum praef. transl. Ezech. (M. 28, 937 D), ubi eodem modo agitur de prophetae vitae condicionibus, id est de captivitate Iudaeorum, de eius ratione dicendi, item quo munere functus sit etc.

Haud aliter est in prologis, quos praefixit epistularum Pauli interpretationibus, in quibus non tam verba facit de Paulo, cuius vitam satis putavit notam, quam de iis, ad quos epistulae mittuntur. Accuratius enim exponit, quae ratio intercedat inter illos et apostolum et quando quaque re commotus Paulus epistulam scripserit. Velut in Comm. epist. Tit. prol. (M. 26, 556 A—B) narrat, ubi apostolus fuerit, cum litteras conficeret quamque rationem habeat cum Tito, ad quem eas mittit; quem a societate Christianorum, quam in Creta fundavit apostolus, revocat ad se. Duos autem alios sodales allegat sicut pastores animorum Cretensibus, ne omnino a rectae fidei praeceptoribus destituti rursus idololatriae se dedant. Apparet his rebus praemissis multo facilius ea perspici, quae apostolus profert in epistula. Apertius invenitur hic usus in Comm. epist. Ephes. prol. (M. 26, 440 B); ubi postquam ostendit praeclarissimum esse hoc studium Scripturae sanctae, sed idem difficillimum, cum multorum invidorum maledictis sese offerret, quorum crimina sibi essent repellenda, exponit uniuscuiusque libri speciem et rationem dicendi constitui moribus et institutis eorum, quibus liber sit destinatus. Ita rem se habere in libris prophetarum Veteris Testamenti neque minus in Novi Testamenti epistulis S. Pauli. Qua de causa primo aliquid dicendum esse de proprietatibus Ephesiorum, quorum epistulam nunc sit interpretaturus. Quod cum explet, narrat incolas Ephesi, capitis Asiae, veneratos esse Dianam, deinde labore et studio apostoli, qui per tres annos iis praedicaverit, recta fide imbutos, cum multum valuerit potentia daemonum apud illos, semper consolatione atque confirmatione indiguisse, ne rursus superstitione vetere vincerentur. Tum denique legimus (col. 442 A): „Haec idcirco universa replicavimus, ut ostenderemus, quare apostolus in hac vel potissimum epistula obscuros sensus et ignota saeculis sacramenta congesserit, et de sanctarum contrariarumque virtutum docuerit potestate, qui sint daemones, quid valeant, quid ante fuerint

et quomodo post adventum Christi sint diruti atque destructi.“ Apparet etiam hac quaestione de memoria Ephesiorum habita lectores optime praeparari, ut facile cognoscant, quid sibi velint singula in ipsis litteris verba. Non multum differt Comm. epist. Gal. prol. (M. 26, 309 B sqq.), quo non docemur de moribus Galatarum vel de causis, quibus Paulus commotus sit ad scribendum, sed quo declaratur, qua de re sit quaestio. Ostendit eadem de re agi atque in epistula ad Romanos scripta, sed in illa multo subtilioribus argumentis apostolum uti quam in epistula Galatarum, quippe qui non aeque litteris eruditi sint atque Romani. Deinde amplissime explanat illam quaestionem, quam persequi longum est. — Postremo afferendam puto Hieronymi epist. XXI (C S E L 54, pg. 111), qua tractat parabolam illam, quae est de filio prodigo. Ubi disserit in cap. 2, 1 parabolam esse quasi responsum ad interrogationem quandam. Quid autem hac occasione quaeratur, accuratius exponit. Scribas enim et pharisaeos mussitasse dicentes: Qua re hic peccatores recipit et vescitur cum iis? Planius demonstrat, quantopere inter se dissentiant lex severa Iudaeorum et clementia verorum sectatorum Christi. Quaestioni illi responsum esse a Christo tribus parabolis, quas enumerat, et quomodo ceterae cum tertia, quam tractandam sibi proposuit, cohaereant, ostendit. Atque tum demum ad argumentum libri transit. Intellegitur hoc prooemio optime instrui lectores, qua re Christus commotus sit, ut uteretur hac comparatione, quoque spectet. Multo facilius igitur perspicere possunt singulas res, quae ea continentur.

Hac ratione imbuendi homines omnibus rebus idoneis, quae minuant operam percipiendi libri, Hieronymus sequitur rhetorum praecepta; id quod docet Servii Grammatici Comm. in Verg. Aen. l. I initium: „In exponendis auctoribus haec consideranda sunt: poetae vita, titulus operis, qualitas carminis, scribentis intentio, numerus librorum, ordo librorum, explanatio.“ Quam legem Servius ipse accuratissime observat. Postquam enim initio dixit de Vergili vita atque breviter titulum operis proposuit, verba facit de qualitate carminis, id est: exponit metro heroico id esse conscriptum, et pergit: „Est autem stilus grandiloquus, qui constat alto sermone magnisque sententiis.“ Vide, quod Hier. profert de lingua prophetarum, quos interpretaturus est. Paulo post invenimus apud Servium haec: „Intentio Vergilii haec est Homerum imitari et Augustum laudare a parentibus.“ Conferre licet cum alios Hieronymi locos, tum epist. ad Eph. vel ad Gal. prooemia. Relegandum puto porro ad Caesaris Belli Gallici initium, quo nos docet de partibus et incolis Galliae, quo facilius intellegamus rerum gestarum narrationem, itemque ad Appiani historiam; qui in l. VII, ubi tractat res Hispaniae, loquitur de huius terrae situ atque antiquitatibus, similiter in l. IX de Illyria, in l. XII de Bithynia. Ovidius in Fast. I explicat, quomodo Romulus ordinem anni instituerit, et multa alia huius rei exempla inveniuntur. Commemorare licet etiam Plauti usum, qui in prologis suis eas res explanat, quas expositionem fabulae vocare solemus.

His rebus, quas scriptor praemittit, ut magis perspicuum reddat librum, simul id debet spectare, ut incitet homines ad legendum. Per se autem saepe minime sunt aptae ad hoc perficiendum, cum careant omni vigore; id quod maxime apparet ex Caesaris B. G. initio. Qua de causa scriptor utitur quibusdam artificiis, ut demat illis rebus siccitatem et provocet cupiditatem legendi.

Atque primum quidem admirandum est Hieronymum solere, cum instruat lectores de origine libri interpretandi, commemorare alias res, quae quin lectoribus notae sint, dubium non est. Velut affert compluribus locis res gestas, quae memoria cum aliorum tum populi Romani vel Iudaei traduntur, quas eodem tempore accidisse dicit atque illud, quod in prooemio exponit. Ut recurram ad exempla antea laudata, sic est in praefatione Ezech.: „Et eodem tempore, licet posterior, hic (scil. Ezechiel) in Chaldaea, Jeremias in Iudaea prophetaverunt.“ Vel in Comm. Agg. prol.: „Quo tempore apud Romanos septimus a Romulo regnabat Tarquinius Superbus habens annum imperii vicesimum septimum, qui post octo annos expulsus est a Bruto, ac deinde rempublicam per annos 464 usque ad Iulium Caesarem consules administraverunt.“ Item est in praef. transl. XII prophet. (M. 28, 1015), ubi, postquam pauca prolata sunt de ratione dicendi singulorum prophetarum, inveniuntur haec verba: „Et quia longum nunc de omnibus dicere, hoc tantum vos, o Paula et Eustochium, admonitas volo, ... Osee *σύγχρονον* Jesaiae, Malachiam vero Aggaei et Zachariae fuisse temporibus.“ Denique affero Hieronymi epist. XVIII ad Damasum papam de Seraphim et calculo (C S E L 54, pg. 73). Visio Jesaiae, quam ibi interpretatur, incipit ab his verbis: „Et factum est in anno, quo mortuus est rex Ozias eqs.“ Hieronymus igitur Jesaiam secutus initium facit ita: „Antequam de visione dicamus, pertractandum videtur, qui sit Ozias, quot annis regnaverit, qui ei in ceteris gentibus sint coaevi.“ Quod promissum explet summa cum diligentia. Cuius disputationis in fine sunt haec (cap. 1, 4): „Regnavit autem Ozias annis quinquaginta duobus, quo tempore apud Latinos Amulius, apud Athenienses Agamestor undecimus imperabant. Post cuius mortem Esaias propheta hanc visionem, quam explanare nunc nitimur, vidit, id est eo anno, quo Romulus, Romani imperii conditor, natus est.“

Quaeritur, quid assequi voluerit Hieronymus hac ratione praefandi. Non dubium est, quin admonere velit lectores de re quadam, quam noverunt. Nemo autem nescit multo facilius et iucundius esse quasi fundamento scientiae iacto aedificium exstruere quam nulla re posita quasi ex nihilo initium sumere. Nondum satis imbuti aliqua re gaudemus in legendis virorum doctorum de hac re libris, quotienscumque quid invenimus nobis notum, et maiore cum studio in iis, quae sequuntur, inquisitionibus versamur. Qua de causa scriptores ordiri solent a talibus rebus, quas lectores haud ignorare sibi persuaserunt. Cohaeret aliquo modo hic usus cum ratione repetitionis, de qua diximus (pg. 12), qua scriptor initio libri secundi, tertii, sequentium paucis

verbis complectitur, quod libro antecedenti tractavit, priusquam argumentum indicat libri, quem nunc scripturus est. Haud scio an huius rationis exemplo fuerit Hieronymo Cicero, qui ipse quoque diversas res gestas, quae eodem fere tempore accidisse traduntur, inter se solet coniungere; cf. Tusc. disp. I 1, 3. Quamquam hic non tam id spectare videtur hac re, ut lectorem alliciat, quam ut hoc ornamento scientiam suam iactet.

Aliud quoque artificium praesto est scriptori, quo adducat homines, ut libro operam dent. Sic enim eos imbuere potest rebus ad intellegendum opus necessariis, ut simul propositum suum valde commendet atque ostendat, quanti sit momenti et quam praeclarum vel utile ad hominum salutem. Redeamus ad exempla supra allata. In praef. in Jes. (M. 28, 771) lingua prophetae maxime celebrata pergit: „. . . . . (Jesaias) non tam propheta quam evangelista dicendus sit. Ita enim universa Christi Ecclesiaeque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non eum putes de futuro vaticinari, sed de praeteritis historiam texere." Apparet his verbis, quibus prophetae auctoritas demonstratur, librum aperte laudibus efferri. In transl. Jerem. prol. narrat prophetam, quamquam sermone quidem Jesaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videatur rusticior, tamen sensibus parem esse, quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Defendit igitur librum ab opprobriis, quae ne proferantur, timet. Etiam hac re, quod ostendit vitiis quibusdam gravibus vacare prophetam, praedicat librum. Par est Comm. Agg. prol. (M. 25, 1387); exeunte enim prooemio exponit, quanta gravitate fuerint eius verba apud aequales, cum dicat: „Sciendum est interim . . . . . magni spiritus Aggaeum fuisse et Zachariam prophetas, ut adversum Artaxerxis regis edictum et Samaritanos quoque gentesque cunctas per circuitum aedificationem templi impedientes iuberent templum exstrui . . . . ., ut prophetas magis audirent iubentes (scil. Iudaei), quam prohibentis regis imperium." Manifestum est prophetae, cui tantopere tum obsecuti sunt cives, librum dignum esse, qui legatur. Denique relego ad Comm. Jon. prol. (M. 25, 1117 B), ubi legimus: „. . . . . qui typus est Salvatoris et tribus diebus ac noctibus in ventre ceti moratus praefiguravit Domini resurrectionem . . . . ." Paulo post (col. 1118 B) profert locos complures Scripturae sanctae, quibus de eodem Jona agitur; qui loci certe id spectant, ut prophetam celebrent. Argumentum libri Jonae comparat cum historicorum Graecorum memoria et maxime Herodoti. Quo tempore exstiterit propheta, demonstrat et pergit: „Ceterum non ignoramus, Chromati papa venerabilis, sudoris esse vel maximi totum prophetam referre ad intellegentiam Salvatoris: videlicet quod fugerit, quod dormierit, quod praecipitatus in mare sit, quod susceptus a ceto . . . . . . (singulas eius vitae res memorabiles enumerat) . . . . . et tamen, ut totum prophetae sensum brevi praefatione comprehendam, nullus melior typi sui interpres erit, quam ipse, qui inspiravit prophetas . . . . . Loquitur ergo ad Iudaeos sui sermonis incredulos . . . .: Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonae et ecce plus quam Jonas hic."

Satis multa iam verba fecimus de commentariorum prooemiis; iam usum illum, quo scriptor lectores docet omnia exteriora, ut ita dicam, quae tamen multum prosunt, ut interioris libri proprietas recte percipiatur, transferamus ad aliud genus scribendi, ad dialogum. Habemus eam rationem, qua instruimur de loco, tempore, personis, condicionibus colloquii. Nam ne haec quidem, quamquam non in ipsa tractatione ponenda sunt, inutilia sunt lectori et supervacanea, quippe quae perficiant, ut disputatio melius intellegatur. Simul si praeclare a scriptore finguntur, valde augent hominibus voluptatem legendi. Idonea igitur sunt, quae commendent librum.

Pauca sunt Hieronymi exempla, quae huc spectant, cum raro in operibus suis alios fingat loquentes. Sicut in Vita Malchi mon. capt. (M. 23, 53) ipsum illum sibi facit narrantem; in prooemio autem docet, ubi et quando Malchus fuerit, quomodo eo venerit illumque cognoverit, rationem eius vivendi singularem animadverterit, denique, quod alio modo de hac re certior fieri non potuerit, ex ipso Malcho vitam quaesiverit. Simile est dial. contra Lucif. prooemium (M. 23, 155): „Proxime accidit, ut quidam Luciferi sectator cum alio ecclesiae alumno odiosa loquacitate contendens caninam facundiam exercuerit. Asserebat quippe universum mundum esse diaboli eqs.“ Contra quem alterum, qui colloquio interfuisset, rationabiliter illum quidem, sed importuno et loco et tempore suam sententiam defendisse. Nocte autem ineunte disputationem esse interruptam. Sed constitutum, ut die postero certo quodam loco coram fratribus haec res amplius tractaretur. „Quo cum iuxta placitum omnes convenissent, visum est utriusque sermonem a notariis excipi.“ Deinde initium ponitur colloquii.

Haec ratio praefandi usitatissima est in dialogis. Satis est relegare ad Ciceronis dialogos, quorum in prooemio semper instruimur de tempore, loco, occasione, personis colloquii (cf. de republ. I 8, 13—9, 14; Acad. I 1, 1 sqq.; de or. I 7, 24—28 etc.; vide Hirzel, Dialog I pg. 488 sqq.).

Denique breviter dicendum puto de usu quodam, qui ipse quoque spectat ad meliorem libri intellegentiam. In compluribus enim libris, ut distinctius singulas res illustret, signis quibusdam utitur Hieronymus; quae quid valeant, in exordio ei explicandum est. Velut in Chronicis fieri potest, ut quis dubitet, cui anno factum quoddam attribuat, cum „paene difficilius sit, legendi ordinem discere, quam ad lectionis notitiam pervenire.“ (ed. Helm, pg. 5, 9 sqq.). Qua de causa notas adhibet et diversis coloribus annorum numeros pingit, ut aperte significet, quomodo intellegi velit singulas res. Quid autem indicet unumquodque signum, in prooemio plane demonstrat. Cumque periculum sit, ne scribarum neglegentia notae confundantur, admonet, ut magna cum diligentia opus transcribatur. — Eadem ratione utitur in prooemiis translationum, ut significet, quid ex fonte sumpserit, quidque adiunxerit alios scriptores secutus. In praef. l. Hiob alt. vers. (M. 29, 62 B) exponit prorsus corruptum esse librum memoria, sed se studuisse eum corrigere et denuo

restituere, et pergit: ,,Igitur et vos et unumquemque lectorem solita praefatione commoneo et in principiis librorum eadem semper annectens rogo, ut, ubicumque praecedentes virgulas ÷ videritis, sciatis ea, quae subiecta sunt, in Hebraeis voluminibus non haberi. Porro ubi stellae imago fulserit *, ex Hebraeo in nostro sermone addita.“ Similia inveniuntur in praef. l. Psalm. (M. 29, 119), l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 401), libror. Sal. j. LXX Interpr. (M. 29, 403), alibi.

Iam redeamus ad commentariorum prooemia. In quibus dum de vita, moribus, aetate prophetae scriptor loquitur, facile fieri potest, ut paulo diutius in hac re versetur et, cum studet virum litteris imbutum se praestare, eas res proferat, quae quamquam haud inutiles sunt lectori, tamen non sunt necessariae ad librum intellegendum. Vel ut artis grammaticae scientiam iactet, in omnibus fere libris nomen prophetae, de quo agitur, etymologice explanat.[1]) Utrum in his rebus recte iudicaverit necne, non est, quod hoc loco exploremus. Satis est usum Hieronymi demonstrare. — Sed etiam longius a re digreditur in prooemiis. Multae enim sunt quaestiones, quae quamquam non in ipsa tractatione ponendae sunt, tamen occasione data disputare non alienum est, cum arte cohaereant cum re.

Iam supra commemoravimus in epist. XXI Hieronymum lectorem docere omnes res, quae spectant ad perspiciendam illam parabolam, quam illustrandam sibi proposuit (pg. 22). Sed paulo amplius de iis verba facit. Exponit enim, quomodo in universum parabolae sint intellegendae. Deinde, id quod saepe invenimus, ostendit, quo in contextu rerum Jesus usus sit hac narratiuncula. In extremo autem prooemio legimus: ,,Unde vehementer admiror Tertullianum . . . . . hoc voluisse sentire, quod publicani et peccatores, qui cum Domino vescebantur, ethnici fuerint, dicente Scriptura: . . . . .“ Sententiam illam plane refellit causis allatis. Apparet igitur primum quidem optime Hieronymum lectores instruere, quo pertineat parabola, et de hac re copiosius, quam necesse est, loqui. Deinde autem investigat, utrum publicani ethnici sint an Iudaei. Haec quaestio nihil valet ad intellegentiam libri, sed tamen aliquo modo cohaeret cum proposito. Pharisaei enim Christum vituperaverunt, quod cum publicanis et peccatoribus convivaretur. Cui crimini Christus respondit comparatione illa. Neque igitur indignum videtur explorare, quinam fuerint hi publicani. Hanc autem quaestionem ut disserat, commovetur libro quodam Tertulliani. Saepius, ut hoc modo paulum aberret, impellitur libro adversarii alicuius, sicut in Comm. Jes. I (M. 24, 19 B), Dan. (M. 25, 491 A), epist. Tit. (M. 26, 555 A), multisque aliis locis.

Nonnumquam his quaestionibus, quae nimis longe videntur abesse ab ipsa re tractanda, homines praeclarissime inducuntur ad argumentum libri. Ut

[1]) cf. Ovidi Fast. V, VI initia. — Quantam linguae Graecae et Hebraeae scientiam Hieronymus assecutus sit, de hac re vide Bardenhewer, Gesch. d. altkirchl. Literatur III, 652.

in Vita S. Pauli, primi eremitae (M. 23, 17 A) explorat, quis fuerit primus eremita; omnium, qui de hac re censuerunt, sententias profert et addit, quid ipse iudicet. De aliis autem, qui hanc rationem vivendi instituisse dicantur, iam multos libros esse traditos. Qua de causa „se pauca de Pauli principio et fine scribere disposuisse"; . . . . . nam „quomodo . . . . in media aetate vixerit et quas Satanae pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur." — Similiter a quaestione quadam haud aliena incipit Seneca in dial. I atque sollertissime inde transit ad rem ipsam. Vel conferre licet Ciceronis usum, qui compluribus locis sicut in Tusc. disp. I comparat virtutes Graecorum cum Romanorum atque denique statuit philosophiam usque ad id tempus apud cives suos iacuisse. Qua de causa se eam Latinis litteris illustrandam sibi proposuisse. Simul eo, quod generales res in prooemio scriptor disserit, valde alliciuntur homines, quippe cum omnibus fere curae sint. Diligentia vero lectorum excitata facile conservatur atque ad certam rem perducitur.

Interdum tales digressiones aperte spectant ad rem celebrandam atque hac re consentiunt cum rebus illis, de quibus diximus, quas scriptor profert ut ad intellegendum librum necessarias (pg. 24). Velut in Comm. Mich. prol. (M. 25, 1151) initio ostenditur, quem locum teneat propheta tractandus in ordine duodecim prophetarum. Quantum hoc autem valeat ad commendationem rei, apparet ex eo, quod paulo post legimus: „Ergo quasi in corde voluminis positus debet profunda continere mysteria, et sermo Dei, qui semper descendit ad prophetas, descendit ad Michaeam." Deinde nomen prophetae explicat et disserit, quomodo pertineat ad argumentum libri. Etiam hoc illi laudi esse manifestum est. — Idem intellegitur ex Comm. Jes. I (M. 24, 19 B): „Neque vero, ut Montanus cum insanis feminis somniat, prophetae in ecstasi sunt locuti, ut nescierint, quid loquerentur, et cum alios erudirent, ipsi ignorarent, quid dicerent." Quod pronuntiatum demonstrat atque confirmat locis nonnullis Scripturae allatis. Crimen igitur a Jesaia propheta, cuius librum explanare studet, prohibet.[1])

Eodem modo saepe ostendit difficultatem rei. Velut in Comm. Ezech. XI (M. 25, 325 D), ubi sententiam viri docti cuiusdam, qui de eadem re censuit, afferre satis habet Hieronymus, postremo dicit haec: „In prophetia difficillima illud breviter admoneo[2]), quod vir nostrae aetatis haud ignobilis, ad imperatorem scribens super hac natione dixerit: Gog iste Gothus est; cui qua ratione possint omnia, quae in ea scripta sunt, coaptari, non est meum, sed eorum, qui hoc putant disserere."

Tandem pauca occurrunt prooemia, in quibus ea sola de causa talia disseruntur, ut recte intellegatur liber. Maxime ne falso percipiatur disputatio, scriptor cavet. In l. adv. Iov. I (M. 23, 211 sqq.) Hieronymus refellere

[1]) cf. Cic. de inv. I 1, 1.

[2]) Haec locutio: „Illud quoque lectorem admoneo" vel similis saepe invenitur. Exempli causa affero praef. in XII proph. (M. 28, 1015), Comm. Dan. (M. 25, 493 A) et Eccles. prol. (M. 23, 1011 A). Conferre licet Plauti Capt. 53—54; auct. ad Her. I 1, 1.

studet sententiam adversarii, qui dixerat: „Virgines, viduas et maritatas, quae semel in Christo lautae sunt, si non discrepent ceteris operibus, eiusdem esse meriti“ (pg. 214 B). Quam sententiam quod refutat atque castitatem laudibus effert, facile videtur matrimonium prorsus condemnare. Quod ne putent lectores, veretur. Exponit igitur haec: „Neque vero . . . . . . nuptiis detrahimus nec . . . . . omnem coitum spurcum putamus.“ Amplius ostendit matrimonium minime esse contemnendum, praesertim cum ipse Deus imperaverit: „Crescite et multiplicamini et replete terram.“ Deinde matrimonium cum virginitate comparat et mystica ratione usus demonstrat longe praeferendam esse virginitatem. Nisi autem laudem illam matrimonii adiunxisset, multi putavissent certe unam virginitatem Hieronymum iustam existimare, ceteras omnes condiciones vivendi improbare. — Simile invenitur in Iosephi Flavii l. de B. Iud. I; ostendit enim ille plurimos scriptores, cum bellum Iudaeis male evenerit, rebus eorum nimis obtrectavisse, Romanorum autem res gestas plus iusto celebrasse. Itaque, quanta cum fortitudine Iudaei pugnaverint, paene esse ignotum. Qua de causa suae gentis nomine bellum se descripturum esse. *Οὐ μὴν ἐγὼ τοῖς ἐπαίρουσι τὰ Ῥωμαίων ἀντιφιλονεικῶν αὔξειν τὰ τῶν ὁμοφύλων διέγνων, ἀλλὰ τὰ μὲν ἔργα μετ' ἀκριβείας ἀμφοτέρων διέξειμι* (I, 9). His verbis eodem modo atque Hieronymus cavet Iosephus, ne nimis ex una parte videatur iudicavisse.

Iam inspiciamus pauca prooemia, in quibus paulo longius digressus est atque eas res protulit, quae, si severe censes, supervacaneae sunt in principio librorum. In Comm. Naum prol. (M. 25, 1231) initio ostendit locum libri in totius XII prophetarum operis contextu alium esse apud LXX Interpretes atque apud Hebraeos (cf. Comm. Mich. prol.; pg. 27). Deinde nomen prophetae etymologice declarat, quidque sibi velit, demonstrat laudans librum. Explanatione autem nominis facile adducitur ad descriptionem temporum illorum et status populi Iudaeorum, cui Naum prophetavit. Tum amplissima verba facit de exordio ipsius libri prophetae, quod est: „Assumptio Ninivae: liber visionis Naum Elcesaei.“ Vocabulis assumptionis et Ninivae etymologice et ad sensum explicatis docet, quantum intersit omnium hominum hunc librum haud ignorare; quo loco natus sit propheta, profert et denique, id quod alicubi iam invenimus, disputat de Montani falsa sententia, qui censuerat prophetas „in *ἐκστάσει* loqui“. Quam sententiam prorsus refutat; nam „quod prophetat, liber est visionis intellegentis universa, quae loquitur.“ Nimis igitur copiose hoc prooemium lectores introducit ad rem. Neque tamen, quae insunt, ut vitiosa vituperabimus, cum omnia spectent ad animos hominum intendendos. Similia sunt multa apud Hieronymum prooemia, quae afferre longum est. Satis habeo commemorare Comm. Abacuc (M. 25, 1273) et Malach. (M. 25, 1541).

Nonnumquam disserit quaestiones, quae pertinent ad interpretandum librum. Velut in libris Scripturae sanctae poeticis docet, quibus versibus

quoque numero compositi sint. Exemplum est praef. in l. Hiob (M. 28, 1079), ubi initio ostendit librum memoria prorsus esse corruptum et pergit: ,,A principio . . . . . voluminis usque ad verba Hiob apud Hebraeos prosa oratio est. Porro a verbis Hiob, in quibus ait: . . . . . usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est: . . . . hexametri versus sunt, dactylo spondaeoque currentes et propter linguae idioma crebro recipientes et alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis et tinnulus fertur numeris lege metri solutis; quod metrici magis quam simplex lector intellegunt. A supradicto autem versu usque ad finem libri parvum comma, quod remanet, prosa oratione contexitur.'' Hanc sententiam, quam protulit de re metrica, confirmat laudatis aliis patribus ecclesiasticis egregiis, qui in libris suis pariter iudicaverunt.[1])

Item inquirit in nonnullis prooemiis, in quot libros totum opus, cui operam dat, sit dividendum. Praef. in l. Psalm. j. Hebr. ver. initium est hoc (M. 28, 1123 A): ,,Scio quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum . . . . Nos autem Hebraeorum auctoritatem secuti et maxime apostolorum, qui semper in Novo Testamento Psalmorum librum nominant, unum volumen asserimus.'' Quam sententiam paulo longius causis allatis confirmat. — Similis est praef. in l. Paral. j. LXX Interpretes (M. 29, 402 B): ,,Hoc primum sciendum, quod apud Hebraeos Paralipomenon liber unus sit, ... qui propter magnitudinem apud nos divisus est, quod nonnulli etiam in Bruto, Ciceronis dialogo, faciunt, ut eum in tres partes secent, cum unus a suo auctore sit editus.'' Quod paulo post in eodem prooemio legimus: ,,Ad extremum, quod omnis eruditio Scripturarum in hoc libro continetur et historiae vel, quae praetermissae sunt suis locis vel perstrictae leviter, hic per quaedam verborum compendia explicentur'', apertissime spectat ad commendationem operis, id quod saepius observavimus. — Postremo commemoro Praef. in Ezram (M. 28, 1403 B), ubi simili modo exponit se adversus aliorum virorum sententiam librum Ezrae non divisisse, cum sequatur exemplum Hebraeorum.

Interdum, si quem librum interpretatur, explorat, qua potissimum memoria librorum nitatur. Nam si exstant complures codices, solent inter se differe et quaeritur, cui maxime fides sit habenda. Sicut exponit in Comm. in Jes. XV (M. 24, 513 D), si verba Hebraica et Septuaginta Interpretum dissentiant, magis esse credendum verbis Hebraicis. Quomodo autem cohaereat haec disputatio cum re proposita, inde elucet, quod est in extremo prooemio: ,,Hoc diximus, quia praesens capitulum, cum in sensu unum sit, in verbis discrepat.'' Eandem quaestionem disserit in praef. in quattuor Evang. (M. 29, 526 C sqq.), quam accuratius proferre longum est.

Maioris etiam momenti est discernere, num omnino iure liber interpretandus prophetae aut apostolo tribuatur vel habeatur in ordine librorum sanctorum, id quod ab adversariis nonnumquam in suspicionem vocatur.

[1]) Consentit hac ratione cum Servio, de cuius Comm. in Aen. initio supra diximus (pg. 22).

Apparet huius rei iam in initio omnem dubitationem esse tollendam, cum sit hominis insani libro falso in canonem recepto operam dare. Qua de causa scriptor hanc rem, cuius investigandae in ipsa tractatione ne locus quidem est, in prooemio non omittit. Simul, cum ostendit librum vere esse traditum optime ipse commendat suum propositum.

Comm. in Dan. prol. incipit ab his verbis (M. 25, 491): „Contra prophetam Danielem duodecimum librum scripsit Porphyrius, nolens eum ab ipso, cuius inscriptus est nomine, esse compositum, sed a quodam, qui temporibus Antiochi, qui appellatus est Epiphanes, fuerit in Iudaea et non tam Danielem ventura dixisse, quam illum narrasse praeterita.“ Hanc sententiam Porphyrii, cui acerbissime maledicit, omnino refutat. Affert libros, quibus eodem modo ei responsum est. Quibus autem causis commotus sit adversarius, ut hoc censeret, accuratius demonstrat et statim laudatis illis libris singula eius argumenta refellit. Paulo post, ut doceat historiam libri Danielis, aliud profert: „Illud quoque lectorem admoneo Danielem non iuxta LXX Interpretes, sed iuxta Theodotionem Ecclesias legere.“ — Simillima est huic prooemio praef. transl. eiusdem Dan. (M. 28, 1291 sqq.). Ostendit enim prophetae librum ab Ecclesia probari, non ut Septuaginta Interpretes, sed ut Theodotio eum transtulit, curque hoc fiat, disserit. De lingua prophetae Chaldaica difficillime intellegenda loquitur. Partem autem quandam libri in suspicionem vocatam esse, quod non ab ipso propheta scripta videatur. Adversarii quid contra hunc librum dicere soleant, pronuntiat et colloquio ficto aliquem rectae fidei sectatorem iis facit respondentem. In fine autem prooemii admonet Danielem non haberi apud Hebraeos in prophetis, sed in iis, qui Ἁγιόγραφα conscripserunt. Et breviter revocat partitionem totius sanctae Scripturae. Denique subito orationem interrumpit dicens: „De quo non est huius temporis disserere.“ Quod autem demonstrat in hoc prooemio, quo loco apud Hebraeos liber habeatur, relego ad praef. l. Tobiae (M. 29, 23 sqq.) et l. Iudith (M. 29, 37 sqq.), in quibus exponit librum apud Hebraeos non verum putari, sed numerari in apocryphis, quae dicuntur. Sic est in praef. l. Judith: „Apud Hebraeos liber Judith inter apocrypha legitur . . . . ., Chaldaeo tamen sermone conscriptus inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicaena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse eqs.“ — In Comm. epist. Tit. prol. (M. 26, 556) criminibus adversariorum commotus (vide supra pg. 26) demonstrat laudato suo auctore epistulam summo iure Paulo ascribi. Non longe differt Comm. epist. Phil. prol. (M. 26, 601).

Nonnunquam etiam alios libros, qui ne libro ei interpretando obtrectent, periculum est, falso traditos esse docet. Solos eos libros, qui in Canonem Scripturae sanctae recepti sint quibusque explanandis ipse operam det, veram memoriam praebere. Apparet etiam hunc usum spectare ad commendationem rei. Velut in Comm. Evang. Matth. prol. (M. 26, 15) est: „Plures fuisse, qui Evangelia scripserunt, et Lucas evangelista testatur, dicens . . . . .; hoc tantum in praesentiarum necesse sit dicere exstitisse quosdam, qui sine spiritu

et gratia Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quam historiae texere veritatem.“ Quam graviter illi peccaverint, ostendit locis e sancta Scriptura allatis. „. . . . . Ecclesia autem . . . . . quattuor et angulos et annulos habet, per quos quasi arca Testamenti et custos legis Domini lignis immobilibus vehitur.“ Dicit deinde de singulis evangeliis, qui fuerint auctores et quomodo scripserint, ostendit. „. . . . . Haec igitur quattuor Evangelia multo ante praedicta Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur: . . . . . (amplissime explanat hanc visionem) . . . Quibus cunctis perspicue ostenditur, quattuor tantum Evangelia debere suscipi et omnes apocryphorum naenias mortuis magis quam ecclesiasticis viris canendas.“ — Aequa est praef. in l. Sal. (M. 28, 1241). Postquam enim trium huius operis librorum titulos et Hebraice et Latine attulit, pergit: „Fertur et *Πανάρετος* Jesu filii Sirach liber et alius *ψευδεπίγραφος*, qui Sapientia Salomonis inscribitur.“ Quos spurios esse paucis verbis demonstrare studet.

Ad hunc locum pertinet etiam prologus ille clarissimus, qui dicitur galeatus (in transl. l. Sam. et Mal., M. 28, 547 sqq.). Docet enim eodem modo, quo alphabetum Hebraicum sit 22 litterarum (hac occasione data enumerat omnes Scripturae libros, qui hoc alphabeto conscripti sunt), etiam Scripturam sanctam amplecti 22 volumina. „Porro quinque litterae duplices apud Hebraeos sunt, ... Unde et quinque a plerisque libri duplices aestimantur.“ Affert omnium Veteris Testamenti librorum titulos et Hebraice et Latine, componit volumina in certis ordinibus legis, prophetarum, *Ἁγιογράφων*. Pergit ostendens a nonnullis duos libros, quos cum aliis coniunxerit, singillatim numerari „ac per hoc esse priscae legis libros viginti quattuor.“ Quorum sententiam consentire cum visione illa 24 seniorum, quae est in apocalypsi, quam accuratius exponit. Tandem finem facit: „Hic prologus Scripturarum, quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebraeo vertimus in Latinum, convenire potest, ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter *ἀπόκρυφα* esse ponendum.“ Et admonet de compluribus libris, quos in canone esse negat. Simili modo igitur atque in procemio Comm. Evang. Matth. omnia, quae extra quattuor Evangelia traduntur, prorsus ut falsa reicit, hoc loco certum quendam ordinem librorum statuit, qui omnes Veteris Testamenti partes complectitur, ut facile lector cognoscat, quod non hoc canone contineatur, non in Scriptura esse habendum.

Hae omnes res, quas Hieronymus in prooemiis tractare solet, arte cohaerent cum re ipsa, de qua agere in animo habet. Sed inest in hac ratione magnum periculum. Facillime enim accidit, ut scriptor talia disserens paulo amplius loquatur et, cum summa cum industria in litterarum studio versatus sit, ad eas res aberret, quae omnino non ad rem spectant. Velut in Comm. Amos I initio verba sunt haec (M. 25, 989 A): „Amos propheta, qui sequitur Joelem et est tertius duodecim prophetarum, non est ipse, quem patrem Jesaiae prophetae legimus.“ Quod accuratius illustrat nominibus

Hebraicis, quae inter se differunt, allatis et etymologice explanatis. Nomina autem Latinis litteris scripta consentire docet. Nam: „Apud nos ... . ., qui tantam vocalium litterarum et „s“ litterae, quae apud Hebraeos triplex est, differentiam non habemus, haec et alia nomina videntur esse communia, quae apud Hebraeos elementorum diversitate et suis proprietatibus distinguuntur.“ Exponit deinde, unde propheta ortus sit quaque ratione scripserit, atque ipsa eius verba ponens interpretationem incipit. Simillimum est hoc prooemium ceteris illis, de quibus diximus, quibus lectores discunt omnia, quae prosunt ad intellegentiam libri. Sed uno loco Hieronymus decedit a proposito. Quod enim nomen prophetae comparat cum alio, quod facile ei potest substitui, commovetur, ut de alphabeti Hebraici abundantia litterarum verba faciat, id quod certe non modo non est huius operis, sed ne cohaeret quidem cum re. Hanc digressionem ut faciat, illicitur rebus, de quibus forte locutus est. Quas ut accuratius explicet, paulo diutius in iis versatur. Tamen facere non possumus, quin vitiosum putemus hunc usum cum in aliis libri partibus tum in prooemio. Tantum enim abest, ut his rebus hominum animi incitentur, ut etiam perturbentur atque deterreantur. Ne ad delectationem quidem talia sunt utilia, nisi forte ea profert, quae iam nota putat vel quibus in universum cupiditas legendi solet provocari, ut praeclaras imagines, proverbia, similia.

Nihilominus multa inveniuntur exordia, in quibus Hieronymus dicit de rebus, quae longe a proposito distant. In Comm. Joel. prol. (M. 25, 947 A) exponit, qui sit ordo duodecim prophetarum secundum Hebraeos et secundum LXX Interpretes; nam inter se de hac re illi dissentiunt (cf. Comm. Mich.; pg. 27). Etiamsi hoc in prooemio interpretationis unius prophetae non necessarium est, tamen non vituperabimus hunc usum, cum lectoris multum interesse putet Hieronymus scire, quo loco sit propheta, cui operam dat, ponendus. Profert igitur secundum ordinem XII prophetarum nomina: „Et quia semel omnes unius voluminis prophetas enumeravimus, utile nobis videtur, ἐτυμολογίας singulorum et Graece et Latine breviter annotare.“ Sed quid sibi volunt hoc loco omnium huius operis prophetarum nominum explicationes? Nihil aliud hac re petit, nisi ut iactet doctrinam suam. Poni debebant haec in prooemio totius operis, non unius prophetae. Quin etiam longius digreditur, cum pergat: „Quattuor autem reliqui prophetae, ut sedecim compleamus, Jesaias, Ezechiel, Jeremias, Daniel, hanc habent intellegentiam.“ Quae ratio intercedat inter nomina horum prophetarum magnorum, qui dicuntur, et explanationem Joelis, non intellegitur. Prorsus aberravit Hieronymus a proposito suo. — Conferre licet Comm. epist. Eph. III (M. 26, 513 D), ubi docet, quomodo nomen Ephesiorum etymologice explicatum consentiat cum epistulae argumento et hac occasione data longe decedit a via recta demonstrandi. Similis est Comm. epist. Gal. II (M. 26, 353), cuius prooemium incipit ab his verbis: „Quod in primo Commentariorum ad Galatas libro, cum de gentium proprietatibus disputarem, intactum reliqueram, nunc in secundo reddendum videtur: qui sint Galatae, vel quo et unde transierint, utrum in-

digenas eos fuderit an advenas, quam nunc incolunt, terra susceperit, et utrum linguam conubio perdiderint an et novam didicerint et non amiserint suam.“ Has quaestiones, quae per se optime hoc loco explanantur, omnibus ex partibus accuratissime disserit et cum alios scriptores tum Lactantium affert auctores. Si cui autem mirabile videtur, quod ex Gallia in terras ita remotas Galatae emigraverunt, statim eruditur multis aliis exemplis saepissime factum esse in rerum gestarum memoria, ut gentes in longinquissimis finibus novas sedes quaererent. Sed etiam multo magis evagatur (pg. 355 B): „Vultis scire, o Paula et Eustochium, quomodo apostolus unamquamque provinciam suis proprietatibus denotarit?“ Atque tum diutissime versatur in describendis moribus Romanorum et Corinthiorum; quidquid profert, confirmat locis laudatis epistularum S. Pauli. Haec autem digressio, cum minime cohaereat cum interpretatione epistulae Galatarum, prorsus est abicienda. Se aberravisse Hieronymus ipse confitetur, cum dicat (pg. 356 C): „Longum est, si velim de apostolo et de Scripturis omnibus singularum gentium vel virtutes observare vel vitia; cum ad haec ipsa, quae diximus, inde devoluti simus, quod Galatae stulti et vecordes pronuntiati sint.“ In extrema parte prooemii loquitur de Galatarum lingua, id quod initio promiserat. Finem prooemii facit abrupte: „Sed iam ad propositum revertamur.“

His in prooemiis pars quaedam abhorret a libro. Sed quis putet etiam ea exstare, quae ab initio usque ad finem prorsus aliena sunt a re? Hunc usum non artis rhetoricae esse non est, quod commemorem. Nam hoc modo omnino non lectores fiunt dociles atque attenti ad propositum operis. Unum exemplum affero: Comm. Jes. XVI (M. 24, 547 A). In prooemio enim libri antecedentis, quod supra laudavi (pg. 29), docet Hieronymus, si Hebraica verba et translatio LXX Interpretum, inter se dissentiant, Hebraica verba esse praeferenda, cum testimonia Novi Testamenti, quae pertinent ad Vetus, omnia inveniantur apud Hebraeos, cum in translatione LXX Interpretum nonnumquam desiderentur. Quo libro accepto Eustochium, ad quam totum opus mittitur, epistulam scripsit, qua ei obiecit locum quendam Novi Testamenti, quo relegatur ad Vetus; quem locum non putat inveniri apud Hebraeos. Cui Hieronymus respondet prooemio huius libri, cum doceat totum illum locum inesse in Vetere Testamento Hebraice scripto. Apertum est hoc prooemium omnino a libro segregari posse, cum minime spectet ad rem.

Ut hoc loco tollit amicae dubitationem, ita saepius refellit inimicorum crimina, at non solum ea, quae pertinent ad rem, sed etiam quae maxime abhorrent. Quamcumque sententiam Hieronymi alio in libro expositam adversarii vituperaverunt, ipse, quin eam defendat, nullam occasionem praetermittit sibi oblatam. Non interest, utrum quaestio, quam disserit, aliquo modo cum re tractanda cohaereat an non, sed etiam sententias omnino a re alienas, quas alii ei obiecerunt, studet probare in prooemiis. Exemplo est Comm. Jes. XVIII (M. 24, 627) neque minus l. XI (M. 24, 377 B). Quam-

quam hoc loco maxime se defendit ob rationem dicendi. Iam in l. X prol. commemoraverat inimicos sibi Commentarios in Danielem conscriptos crimini dare, sed quod opprobria ipsa adhuc non novisset, non sese posse iis respondere. Dum autem conficiendo libro X operam dat, videtur comperisse maledicta illa. Qua de causa in l. XI prol. copiose iis respondet, cum ostendat, quam sit difficile omnium hominum voluntati satisfacere. Simile est in Comm. in Jerem. prol. (M. 24, 680 A).

Haec prooemia esse vitiosa, quae prorsus aberrant a proposito, etiam ex rhetorum praeceptis plane intellegitur. Conferre licet auct. ad Her. I 7, 11: „Vitiosum exordium est, ... quod non ex ipsa causa natum videtur, ut proprie cohaereat cum narratione." Eadem exponit Quintilianus IV 1, 71 et Cicero de inv. I 18, 26 itemque de orat. II 80, 325: „Conexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium affectum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur." (cf. Volkmann, Rhetorik[2] pg. 144). Quod autem artis rhetoricae praecepta hac re violavit Hieronymus, non habeo, quem huius usus exemplo ei fuisse doceam. Sed, quantum scio, ex scriptoribus, quos sequi solet in aliis rebus, nemo hac re lapsus est. — Prooemia aliena a re ipsa sunt etiam ea, quae pro epistulis operi ipsi praemittuntur; de quibus infra amplius dicam (cf. pg. 44).

Porro apparet, talia si disseruit in prooemiis, difficile ei esse apte transire ad librum ipsum. Qua de causa frequentissimi sunt transitus illi abrupti, quos saepius commemoravimus. Revoco ad praef. in Dan. (M. 28, 1291; pg. 30) et Comm. epist. Gal. II (M. 26, 353; pg. 33). Similes sunt l. adv. Iovin. I (M. 23, 214) et multi alii loci.

II.

De causis scribendi.

Exceptis vitiis, quae modo enarravimus, omnia, quae adhuc disseruimus, spectant ad rem ipsam tractandam. Nam scriptor, sive indicat argumentum libri sive profert nonnulla, quibus id agit, ut minuat hominibus laborem intellegendi operis, semper initium sumit ἐκ πράγματος, ut dixerat Apsines loco illo, quem supra posuimus (pg. 7). Ex quo porro apparet cum his rebus coniungi posse alias, quae pertinent ad πρόσωπον, id est ad personam ipsius scriptoris. Nam incipere potest ἐξ ἀμφοῖν, id est et a re et a persona. Qualia autem sunt huius generis prooemia? Certe scriptor pronuntiat, quae ratio intercedat inter se ipsum et propositum suum. Ostendit ergo, qua re commotus sit ad illustrandam hanc quaestionem. Causae autem scribendi sunt variae. Aut insunt in re aut in persona.

Si rei ipsius gratia adducitur, ut in hoc studio versetur, fieri non potest, quin res sit summa gravitate atque digna, quae diligentissime explicetur.

Hoc cum persuadere studeat lectoribus, ipse commendat suum argumentum. Gravitas enim rei non solum scriptori causa est librum scribendi, sed etiam lectori legendi. Scriptor igitur causam afferens, cur librum confecerit, simul incitat homines ad legendum.

Haec ratio usitatissima est in prooemiis atque iam perstrinximus nonnumquam tales res. Velut cognovimus in iis rebus, quae proferuntur ut ad librum intellegendum necessariae vel utiles, saepe inesse aliquid commendationis. Etiam argumento copiosius indicato eam contineri exemplum est dial. adv. Pelag. prooemium, quod ipsum quoque supra laudavimus (pg. 19). Nam certe ex illustratione illa quaestionis tractandae elucet, quanti sit momenti res quantumque intersit eam recte discerni. — Restat, ut nonnulla alia proferam exempla huius usus in prooemiis tritissimi. In Comm. epist. Gal. III (M. 26, 401 B) legimus: „. . . . . tunc videritis tantam maiestatem et latitudinem in his (scil. epistulis Pauli) verae fuisse sapientiae, quanta in saeculi litteratis arrogantia et vanitas fuit.“ Similiter laudat librum suum in praef. l. Hiob (M. 29, 61): „Quapropter, o Paula et Eustochium, ... spiritualia haec et mansura dona suscipite eqs.“ In Comm. epist. Phil. prooemio, in quo summa cum verborum copia disserit, utrum iure apostolo liber tribuatur necne, pergit (M. 26, 602 C): „Sed mihi videntur, dum epistulam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intellegentes, quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiae lateat.“ Tales indicationes argumenti arcanae, ut ita dicam, saepius inveniuntur. Maxime sunt idoneae, quae excitent exspectationem lectoris. Conferre licet extremum l. de viris ill. prooemium (ed. Herding, pg. 2, 16 sqq): „Discant . . . . . (fidei Christianae inimici) . . . . . quanti et quales viri eam (scil. Ecclesiam) fundaverint, exstruxerint et adornaverint eqs.“ Apertissime autem hic usus occurrit in Comm. Jes. I (M. 24, 18—19 A): „Nullusque putet me voluminis istius argumentum brevi cupere sermone comprehendere, cum universa Domini sacramenta praesens scriptura contineat; et tam natus de virgine Immanuel quam illustrium patrator operum atque signorum, mortuus ac sepultus et resurgens ab inferis et Salvator universarum gentium praedicetur. Quid loquar de physica, ethica et logica? Quidquid sanctarum est Scripturarum, quidquid potest humana lingua proferre et mortalium sensus accipere, isto volumine continetur.“[1])

In aliam quoque partem conversa est in hoc prooemio locus commendationis. Initio enim dedicatione paulo longius prolata pergit: „Itaque et tibi et illi per te reddo, quod debeo, oboediens Christi praeceptis, qui ait: . . . .“ His igitur verbis ostendere studet Hieronymus opus, quod est scripturus, imperari ab ipso Deo.[2]) Ergo fieri non potest, quin summa sit gravitate maximeque hominum referat in illo versari. — Simile est exordium transl. Reg. S. Pach. (M. 23, 63). Demonstrat enim Pachomium sociosque eius vitam monachorum instituisse secundum praecepta Dei, qui ad hanc ipsam rem angelum a caelo

[1]) cf. Sili Italici Punic. I 1—16.

[2]) cf. Ovidii Art. am. III 43/44.

misit, qui eos imbueret de optima ratione vivendi in monasterio. Exemplo igitur sunt mores monachorum Aegyptiorum toti orbi terrarum; qua de causa regula S. Pachomii digna est, quam cum ceterae gentes tum homines linguae Latinae non solum noverint, sed etiam sequantur.

Paucis locis etiam accuratius ostendit omnium hominum, quibuscumque sint in condicionibus, interesse hanc rem plane illustrari. Velut legimus in l. adv. Iovin. I (M. 23, 215 A): „Cunctorum in commune Iovinianus hostis est. Nam qui aequalia omnium asserit merita, tam virginitati facit iniuriam, dum eam nuptiis comparat, quam et nuptiis, sic eas licitas asserens ut secunda et tertia matrimonia. Sed et digamis et trigamis adversarius est eqs.“ Omnibus igitur hominibus maximam affert utilitatem, quod tandem eius sententia plane repulsa est.

Atque in hac re novam rationem commendandi invenimus. Res quam sit utilis hominibus vel iis, quibus liber dedicatur, ostenditur. Aliud huius rei exemplum est Comm. epist. Gal. prol., ubi mittere cupit librum amicae procul versanti, ut solacio ei sit mortis matris dolore perculsae. Legimus autem (M. 26, 308 A): „Itaque, quod et illi absenti pergratum fore et vobis, quae in praesentiarum estis, utile existimo, aggrediar opus eqs.“ Vel dicit sibi ipsi opus, cum scriberet, magno fuisse emolumento; verisimile igitur est alios quoque, cum legant, ex libro magnum capturos esse fructum. Sic est in Comm. Ezech. VIII (M. 25, 231 B—C): „Quid aliis prosit in prophetas nostra dictatio, Dei iudicii est eorumque conscientiae . . . . . Nobis interim prodest eqs.“ Conferre licet l. de nom. Hebr. praef. (M. 23, 771 A), item Ciceronis Cat. M. 1, 2.

Nonnumquam in commendanda re paulo diutius versatur et verbose non modo rem ipsam, sed omnes huius generis res laudat. Sicut orditur in Comm. epist. Eph. I (M. 26, 439 sqq): „Si quidquam est, Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem virum teneat et inter pressuras et turbines mundi aequo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor meditationem et scientiam Scripturarum.“ Et planius demonstrat hac re ipsa hominem excellere inter omnia animalia, quod ratione utatur, rationem autem universam inesse in Scriptura. Celebrat igitur non tam huius libri argumentum, quod postea demum profert, sed omne hoc studium Scripturae sanctae. — Brevius est in praef. in l. Hiob (M. 29, 61 B): „. . . . . iuxta sententiam Salvatoris volo operari cibum, qui non perit, et antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare.“

Quaeritur, num hic usus Hieronymi commendandi librum suum consentiat cum arte rhetorica et prooemiis ceterorum scriptorum. Iam intelleximus hunc usum maxime esse idoneum ad intendendos lectorum animos. Ergo exspectamus similia etiam alibi inveniri. Qua opinione non fallimur. Aristoteles dicit Rhet. III 14, 1415a 38: *Προσεκτικοὶ* (scil. qui audiunt) *δὲ τοῖς μεγάλοις, τοῖς ἰδίοις, τοῖς θαυμαστοῖς, τοῖς ἡδέσιν. διὸ δεῖ ἐμποιεῖν ὡς περὶ τοιούτων ὁ λόγος.* Similiter Lucianus in l. de historia conscrib. § 53: *Προσέξουσι μὲν*

γὰρ αὐτῷ, ἣν δείξῃ, ὡς περὶ μεγάλων ἢ ἀναγκαίων ἢ οἰκείων ἢ χρησίμων ἐρεῖ. Idem docet incertus quidam rhetor (Halm, Rhet. lat. min., pg. 588, 31 sqq.): ,,Principiorum ad historiam pertinentium species sunt tres: de historia, de persona, de materia. Aut enim historiae bonum generaliter commendamus, ut Cato, aut . . . . . aut eam rem, quam relaturi sumus, dignam, quae et scribatur et legatur, ostendimus, ut Livius ab urbe condita.'' — Haec artis rhetoricae praecepta secuti sunt praeclari scriptores. Breviter laudo Catonis de agric. l., Varronis rer. rust. II et III, auct. ad Her. I 1, 1; Ciceronis orat. 1, 1—2; de fin. I 4, 11; de nat. deor. I 1, 1; 4, 9; de off. I 2, 4; Ovidii art. am. III, rem. am.; Dionysii Halic. I 1, 2; Vitruvii VI, praef. 4; VIII; multaque alia principia hanc rationem exhibent. Quod autem Hieronymus in prooemio Comm. epist. Eph. universum studium Scripturae sanctae laudibus effert, relegandum est ad Ciceronem, qui saepissime in libris suis celebrat totam philosophiam, priusquam ad certam quaestionem tractandam accedat, sicut in prooemio l. de fin. I 1, 2 vel de off. II 2, 5—6. Maxime autem hic usus commendandi totum genus, non eam rem solam, de qua agitur, invenitur apud historicos. Quantopere fuerit pervulgata haec ratio, apparet ex eo, quod legimus in Polybii I 1, 1: *Εἰ μὲν τοῖς πρὸ ἡμῶν ἀναγράφουσι τὰς πράξεις παραλελεῖφθαι συνέβαινε τὸν ὑπὲρ αὐτῆς τῆς ἱστορίας ἔπαινον . . . . διὰ τὸ μηδεμίαν ἑτοιμοτέραν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσιν τῆς τῶν προγεγενημένων πράξεων ἐπιστήμης . . . . φάσκοντες ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν, ἐναργεστάτην δὲ καὶ μόνην διδάσκαλον τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν . . . .*'' Afferre satis habeo Sallustii B. Iug. 4, 2 et Diodori Sic. I cap. 1—2.

Neque vero satis est scriptorem ostendere, quanti sit momenti res tractanda, sed etiam debet docere, quam sit nova atque adhuc ignota. Quod enim multorum hominum interest, satis dilucide atque aperte ab aliis scriptoribus solet illustratum esse; atque haec si ita sunt, fieri non potest, quin repetantur eorum verba, id quod certe insignem scriptorem dedecet. Etiam Hieronymus ita censuit. Comm. enim Jes. libro V (M. 25, 153) praefixit epistulam parvam, qua mittit hunc librum non minus quam cetera huius interpretationis volumina ad Eustochium amicam. In explanatione progressus est usque ad locum quendam, de quo iam prius ad alium amicum librum scripsit: ,,Superfluum autem mihi visum est, aut eadem rursus iterare, aut in uno opere diversas sententias promere. Unde quintus in Jesaiam liber erit hic, qui quondam solus editus est.'' Haud aliter est in epist. XXXVI 1, 3 (C S E L 54, pg. 268), in qua copiose respondet ad tres quaestiones Damasi papae. Duas alias autem res, quas easdem ille ex eo quaesiverat, prorsus omittit: ,,. . . . . non quo non potuerim et ad illas aliquid respondere, sed quod ab eloquentissimis viris, Tertulliano nostro scilicet et Novatiano, Latino sermone sint editae eqs.'' De iisdem rebus etiam Originem praeclare scripsisse docet.

Scriptori igitur non modo res sua est laudanda, sed etiam ostendere debet aut non aut non satis dilucide eam ab aliis esse tractatam. Iam supra commemoravimus in prooemio Vitae S. Pauli (M. 23, 17; cf. pg. 27) initio disseri, quis fuerit primus eremita. De eo, quem plerique hanc rationem vivendi instituisse putant, ,,tam Graeco quam Romano stylo diligenter memoriae traditum est.“ Qua de causa ,,pauca de Pauli principio et fine scribere disposui, magis quia res omissa erat, quam fretus ingenio.“ Similiter dicit praestantia sui libri elatus in praef. Ezra (M. 28, 1404 A): ,,. . . . . certe quod illaturus sum, aequissimum est. Edidi aliquid, quod non habetur in Graeco, vel aliter habetur, quam a me versum est.“ Aliis in prooemiis exponit Graecis litteris rem propositam iam dudum illustratam esse, cumque nolit suae linguae homines diutius eam ignorare, se aut Graecum librum transtulisse in linguam Latinam aut novam disputationem de hac re composuisse. Velut in Comm. Dan. prol. (M. 25, 493 B): ,,Cumque omnes Christi ecclesiae tam Graecorum quam Latinorum Syrorumque et Aegyptiorum hanc sub asteriscis et obelis editionem legant, ignoscant invidi labori meo, qui volui habere nostros, quod Graeci in Aquilae et Theodotionis ac Symmachi editionibus lectitant.“ Conferre licet transl. Hom. Orig. XXXIX ev. Luc. prol. (M. 26, 220 A): ,,Quae (scil. Origenis opera, quae confecit, cum aetate floruit) . . . . si Dominus, ut in Latinum sermonem vertam, dederit commeatum, ... tunc videre poteritis, immo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni et ante nescierit et scire nunc coeperit.“ Quamquam hoc loco verba facit de opere, quod futuro tempore demum scribere cupit, non de eo, quod iam aggreditur. Deinde affero Comm. Jes. I (M. 24, 20 B): ,,. . . . . in quo (scil. opere interpretandi prophetae) maiorum nostrorum ingenia sudaverunt, Graecorum dico. Ceterum apud Latinos grande silentium est, praeter sanctae memoriae martyrem Victorinum eqs.“; quem digne rem tractavisse negat. Item legimus in Comm. epist. Gal. prol. (M. 26, 308 A): ,,. . . . . aggrediar opus intentatum ante me linguae nostrae scriptoribus et a Graecis quoque ipsis vix paucis, ut rei poscebat dignitas, usurpatum. Non quod ignorem C. Marium Victorinum, qui Romae me puero rhetoricam docuit, edidisse commentarios in apostolum, sed quod occupatus ille eruditione saecularium litterarum omnino ignoraverit, et nemo possit quamvis eloquens de eo bene disputare, quod nesciat.“

His duobus exemplis proxime laudatis discimus alteram huius rationis speciem. Aut enim scriptor dicit rem prorsus non esse tractatam, cuius rei adhuc protulimus exempla, aut si qui exstant libri, non satis dilucide. Etiam hic usus saepius apud Hieronymum invenitur. Sicut in Comm. Jon. prol. (M. 25, 1117 C): ,,Scio veteres ecclesiasticos tam Graecos quam Latinos super hoc libro multa dixisse et tantis quaestionibus non tam aperuisse quam obscurasse sententias, ut ipsa interpretatio eorum opus habeat interpretatione et multo incertior lector recedat, quam fuerat, antequam legeret.“ Par est initium transl. Homil. XXXIX Orig. in Evang. Luc. prol. (M. 26, 219 A): ,,Ante paucos dies quorundam in Matthaeum et in Lucam commentarios vos

legisse dixistis, e quibus alter et sensibus hebes esset et verbis, alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret. Quam ob rem petistis, ut . . . . . triginta et novem Adamantii nostri in Lucam Homilias, sicut in Graeco habentur, interpreter." Item est in l. Did. de Spir. s. praef. (M. 23, 104 A).[1])

Non longe distant translationum prooemia. Libri, quos vertit, iam antea Latine legebantur. Exponendum igitur ei est, cur nova opus sit interpretatione. In plurimis eius generis exordiis eam causam affert, quod veteres editiones scribarum neglegentia prorsus corruptae sint. Qua de causa novam esse instituendam, quae posita sit in veris verbis Hebraicis. Invenimus hunc locum in omnibus fere translationum prooemiis. Unum satis est exemplum proferre. In praef. in l. Paralip. (M. 28, 1323) legimus in initio: ,,Si Septuaginta Interpretum pura, et ut ab eis in Graecum versa est, editio permaneret, superflue me, mi Chromati, ... impelleres, ut Hebraea volumina Latino sermone transferrem. . . . . . Nunc vero, cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria et germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas aut e pluribus iudicare, quid verum sit, aut novum opus in vetere opere cudere eqs." Similis est l. de nom. Hebr. praef. (M. 23, 771), ubi disserit Hieronymus in animo se habuisse opus quoddam Philonis insignis Iudaei scriptoris, cum maxime in bibliothecis Graecis sit pervulgatum, in linguam Latinam vertere. Sed singulos codices ita inter se dissentire, ut fieri non possit, quin funditus novum opus constituatur. Postquam diutius dubitaverit, tandem fratribus quibusdam hortantibus se id subisse.

Si autem scriptor non modo in universum docet rem nondum satis dilucide esse tractatam, sed etiam certum quendam auctorem nominat, qui de hac re egit, hunc vituperari manifestum est, quod non digne de re scripserit. Crimina autem, quae illi obiciuntur, varia sunt specie. Cum in inimicissimum quemque gravissime invehatur, quo cuique est amicior, eo magis studet lenire opprobria. Nam quamquam librum familiaris cuiusdam vel magistri rei dignitati satisfacere negat, tamen maxime id cavet, ne animum eius offendat. Conferre licet Comm. Jes. I et Comm. epist. Gal. prol. (vide pg. 38), in quibus, ne hominis a se summo in honore habiti memoriam laedat, lenibus et moderatis verbis ostendit illum ut virum rhetorica arte imbutum non esse aptum, qui digne Scripturae sanctae libros interpretetur, quippe quos non satis noverit. Par est Vitae S. Hilar. prooemium; initio enim argumento indicato loquitur de sententia quadam trita; laudat rem tractandam (M. 23, 29 A): ,,Porro mihi tanti ac talis viri conversatio vitaque dicenda est, ut Homerus quoque, si adesset, vel invideret materiae vel succumberet." Et pergit: ,,Quamquam enim sanctus Epiphanius Salaminae Cypri episcopus, qui cum Hilarione plurimum versatus est, laudem eius brevi epistula scripserit, quae vulgo legitur, tamen aliud est locis communibus laudare defunctum, aliud

[1]) cf. auct. ad Her. I 1, 1.

defuncti proprias narrare virtutes.“ — Apertius et distinctius iam dicit in Comm. Mal. prooemio de Origene (M. 25, 1543 A): „Scripsit in hunc librum tria volumina, sed historiam omnino non tetigit et more suo totus in allegoriae interpretatione versatus est. . . . . (Etiam alia proferuntur, quae Origenes aut omisit aut falso censuit.) . . . . Alios commentarios in hunc prophetam legisse me nescio excepto Apollinaris brevi libello, cuius non tam interpretatio quam interpretationis puncta dicenda sunt.“

Si hoc modo condemnat aliorum de eadem re libros, maxime id debet spectare scriptor, ut arbitrium suum fide sit dignum. Qua de causa, ut videatur sine ira et studio iudicare, caveat necesse est, ne progrediatur ad nimiam censendi vehementiam. Cui praecepto Hieronymus non semper paret, cum saepe non modo libris illorum scriptorum obtrectet, sed etiam, cum ipsis sit inimicissimus, eorum personis acerrime maledicat. Quamquam ubicumque libros tantum illorum in discrimen vocat, semper summa temperantia utitur. Praesertim, si complures iam antea de re egerunt, moderationem quandam observat iudicandi.

Nam apparet de rebus gravissimis multos libros scribi, qui in difficilibus quaestionibus absolvendis ut inter se dissentiant, facile fieri potest. Inde oritur magna animorum perturbatio, cum nemo iam sciat, quid censeat de re. Denuo igitur eam tractari opus est, ut prorsus omnis dubitatio tollatur. Ergo ostendet scriptor ceteros illos libros errasse et quaestionem quasi tenebris texisse aut non undique illustravisse, sed quosdam locos, qui magno sunt momento, neglexisse. Quae si disseret in prooemiis, multo facilius conservare poterit moderationem iudicii, cum calumniae, quas profert de personis, spectent semper ad singulos, non ad maiorem numerum scriptorum. Porro vel in eo inest opprobrium quoddam, quod diversae de re sententiae arbitrio non addito componuntur. Nam apparet aut omnes aut certe plurimas esse falsas, quippe quae ita dissentiant.

Relego ad ea prooemia, quae supra laudavi, Comm. Jon. et transl. Hom. XXXIX Orig. Ev. Luc. (pg. 38/39). Quamquam in his non certos nominat scriptores, sed satis habet in universum de iis dicere. Simile legimus in Comm. Zach. I (M. 25, 1418 A), ubi enumerat omnes, qui antea de hoc propheta egerunt: „Sed tota eorum ἐξήγησις allegorica fuit et historiae vix pauca tetigerunt.“ Item in Comm. Osee I, ut ostendat difficultatem libri, summa cum verborum copia explicat quaestionem quandam primi capitis. Tandem finem facit (M. 25, 818 D): „Haec in principio prolixius sum locutus, ut difficillimam primum solverem quaestionem. . . . . Ceterum non ignoro, Pammachi carissime, a multis ecclesiasticis praetermissam.“ Eos autem, qui hanc rem tractaverunt, colligit. Quos non satis eam illustrasse putat. Denique exemplo sit initium epist. XX (C S E L 54, pg. 104), qua ad quaestionem quandam a Damaso papa absolvendam sibi traditam respondet. Ibi enim profert omnes de re sententias, atque unam, quam prorsus falsam esse censet, causis allatis refutat. Postremo autem dicit (cap. 2, 1): „Restat ergo, ut omissis

opinionum rivulis ad ipsum fontem, unde ab Evangelistis sumptum est, recurramus."

Quaeritur, utrum haec ipsa quoque ratio, qua ostenditur rem nondum aut nondum satis illustratam esse, spectet ad artem rhetoricam. Manifestum est rei novitate lectorum animos attendi atque allici. Artissime autem, id quod vidimus, cohaeret hic commendationis usus cum eo, quem proxime tractavimus. Qua de causa etiam in artis rhetoricae libris hi loci solent inter se coniungi. Sic est in auct. ad Her. I 4, 7: „Attentos habebimus, si pollicemur nos de rebus magnis, novis, inusitatis verba facturos eqs." Idem docet Cicero de inv. I 16, 23 et Quintilianus IV 1, 33. Si iam alii de re exstant libri, prooemii est demonstrare his eam non satis illustrari, id quod Apsines praescribit (Sp. I 344, 2): .... *τὸ ἐκ ποιότητος καταφορικὸν ἁρμόσει σοι, οἷον οὐκ ἦν αὐτάρκη τούτῳ τὰ πρότερον τετολμημένα. ἢ οὕτως, εἴη μὲν ἂν ἕν τι, καὶ τοῦτο τῆς τούτου πονηρίας. ἢ οὕτω θαυμαστὸν μὲν οὐδὲν τὸ τοιοῦτον ὄντα τοιαῦτα τετολμηκέναι.* Ut pauca aliorum scriptorum laudem exempla, similia sunt in Varronis de l. Lat. X § 1, in Plinii Nat. Hist. praef. 14, in Vitruvii de arch. IV 1. Saepissime talia inveniuntur apud Ciceronem, qui primus philosophiam Graecam Latinis litteris illustravit. Laudat philosophiam, ostendit eam civibus suis magno fore usui, sed nondum satis perspicue eius quaestiones tam praeclaras quam difficiles a Romanis esse tractatas, sicut in Tusc. disp. I 3, 5 vel Acad. I 2, 5 vel de nat. deor. I 1, 1. Atque hoc potissimum prooemium spectat apertissime ad illa Hieronymi, in quibus agit de opinione quadam falsa, quam protulit quis alius de re, vel in quibus enumerantur omnes de ea sententiae usque ad id tempus pronuntiatae. Item est in historicorum librorum prooemiis, ut in Flavii Ios. de b. Iud. I 1—2; Diodori Sic. I cap. 3, Taciti Hist. I 1.

Adhuc disseruimus causas scribendi, quae insunt in rei gravitate vel utilitate vel similibus. Accedunt aliae. Quintilianus dicit IV 1, 7: „..... plurimum tamen ad omnia momenti est in hoc positum, si vir bonus creditur (scil. scriptor); sic enim continget, ut non studium advocati videatur afferre, sed paene testis fidem. Quare in primis existimetur venisse ad agendum ductus officio vel cognationis vel amicitiae." In litteris igitur se versari exponere potest personae cuiusdam causa, at non sua ipsius, cum non videri debeat suum petere commodum, sed alterius, quocum cognationis vel amicitiae officio coniunctus est. Familiaris ergo quidam, cum quando libro egeret, oravit scriptorem, ut eum conficeret; atque hoc cum ille ostendit, simul opus valde commendat, cum rei illustrationem iam ab aliis desiderari doceat.

Velut in iis operibus, quibus respondet ad crimina cuiusdam adversarii, quamquam vere commotus est ad scribendum certe ipsa adversarii disputatione, tamen ut nobiliore causa inductus videatur, a se petentes facit libellum amicos quosdam, quos nonnumquam ne nomine quidem affert. Sicut l. adv. Iov. I incipit ab his verbis (M. 23, 211 A): „Pauci admodum dies sunt, quod sancti ex urbe Roma fratres cuiusdam mihi Ioviniani commentariolos transmiserunt

rogantes, ut eorum ineptiis responderem eqs." Simile est initium l. adv. Helv. de perp. virg. B. Mariae (M. 23, 183) et dial. adv. Pelag. I (M. 23, 495) atque finis l. contra Vigil. prol. (M. 23, 342 A). Sed animadvertas omnibus his libris diiudicari contentiones. Ad quas dissertatiunculas inflammatum videri solis inimicitiis turpe est scriptori.[1]) Qua de causa hac ratione utitur Hieronymus, ne odio sit, cum tanta cum vehementia in adversarios consulat.

Non longe differt l. de nom. Hebr. (M. 23, 771), ubi ostendit vertere Philonis de hac re librum operae esse pretium, sed cum singuli codices tantopere inter se dissentiant, rem difficillimam. „Itaque hortatu fratrum Lupuliani et Valeriani .... et rei ipsius utilitate commotus singula per ordinem Scripturarum volumina percucurri eqs."

Quod autem omnibus his locis causam scribendi transfert in amicos, ornamentum quoddam est, quod ad totum opus minime valet neque aliud spectat, nisi ut veram scribendi causam dissimulet. Quod ita esse vel inde apparet, quod in compluribus horum locorum aliis quoque artificiis utitur, quibus huius vim augeat (l. adv. Iov. I; dial. adv. Pel. I; l. contra Vigil.). Ubicumque vere amicitia coniunctus est cum iis, a quibus rogatus est, librum ad eos etiam mittere solet. Ratio indicandi, cuius hominis causa liber conscribatur, excolitur in dedicationem.

Usus dedicationis apud Hieronymum saepissime occurrit, cum omnia fere opera ad amicos miserit, neque hac re valde movemur. Maxime enim operam navavit interpretandae vel vertendae Scripturae sanctae. Hi autem libri potissimum sunt habendi in genere operum didacticorum, quae secundum consuetudinem scriptorum veterum solent dedicari.[2]) Carent hac ratione libri historici.[3]) Omissa igitur est in vitis S. Pauli, S. Hilarionis, S. Malchi; at l. de viris ill. et Chronica eam exhibent; neque vero severe observatur haec lex non dedicandi libros historicos antiquis temporibus.[4]) Ceterae autem Hieronymi disputationes exceptis paucis ad amicos mittuntur. Discedunt, id quod mireris, dialogi contra Luciferianos et Pelagianos. Explicari hoc puto ea re, quod proprie sunt contentiones. Plurimi autem libri, qui spectant, ut inimici cuiusdam sententiam refellant, velut l. de perp. virg. B. Mariae adv. Helv., l. adv. Iovin. II, l. contra Vigil., alii non dedicantur. Sed quam non sit sibi constans Hieronymus, intellegitur ex eo, quod eiusdem generis libros contumeliosos, l. contra Ioh. Hier. et Apol. adv. l. Ruf., dedicatione instruxit. Sed ut in prooemiis earum contentionum, quae dedicatione carent, amicos quosdam se orantes facit, ut librum scribat, ne odiosus videatur tantas

---

[1]) cf. Hermog. (Spengel, Rhet. Gr. II 179): *Τὰς .... ἔχθρας ποτὲ μὲν ὁμολογήσομεν, ποτὲ δὲ ἀρνησόμεθα.*

[2]) cf. Joh. Ruppert: Quaestiones ad historiam dedicationis librorum pertinentes. Diss. Lips. 1911, pg. 25.

[3]) cf. Ruppert, pg. 28.

[4]) cf. Ruppert, pg. 29.

calumnias proferens, ita in his quoque prooemiis dedicatio est ornamentum quoddam, quod scriptor adhibet, quo minus iram civium suorum provocet. Porro vacat dedicatione praef. transl. l. Jos. (M. 28, 461); neque, si consideramus, quomodo sit composita, possumus censere memoria librorum corrupta eam esse deperditam. Iam in initio dicit: „Monemusque lectorem eqs.“; ergo non cum certo quodam, cui opus mittit, loquentem se fingit, sed cum omnibus hominibus. In iis quoque, quae sequuntur verbis, nihil invenitur, quo nobis persuadeatur dedicationem continuisse prooemium. Quin etiam in extremo principio, ubi optima dedicandi occasio offertur scriptori, vitare hunc usum videtur. Dicit enim: „. . . . . hos libros, quos Eustochio virgini Christi negare non potui“ et paulo post: „. . . . praesertim cum et admirabilis sanctusque vir Pammachius hoc idem litteris flagitet“, cum aliis locis, ubi talia profert, eum ipsum appellans, cuius precibus se ad scribendum commotum esse docet, librum dedicet. Similiter res se habet in praef. transl. l. Hiob (M. 28, 1079 sqq.), quae ipsa quoque dedicatione caret, cum in ceteris translationum praefationibus exstet.

Haec igitur prooemia, de quibus locuti sumus, numquam habuerunt dedicationem. Sed inveniuntur alia, quae, qualia accepimus, carent dedicatione, olim eam habuerunt. In Comm. Mich. I (M. 25, 1151) et Amos I (M. 25, 989) nihil inest, quo dedicatio significatur, nusquam Hieronymus certum quendam appellat. In Comm. Amos III (M. 25, 1057 C) autem legimus haec: „. . . . . Michaeam . . . . . φιλοπονωτάταις Paulae eiusque filiae Eustochio προσεφώνησα.“ Inde intellegitur olim haec prooemia dedicatione esse instituta, neque vero traditam eam esse scribarum neglegentia. Simile saepissime apud Hieronymum observari potest. In ipso prooemio Comm. Amos III, quod protuli, appellat quendam his verbis: „. . . . . Osee et Joel et Amos tibi negare non potui.“ Sed quis est, quem appellat? Neque enim nomen ullum profert. Quem alloquatur, nos intellegere possumus ex Comm. Osee et Joel, quos ad Pammachium misit. Idem igitur etiam Comm. Amos accepit. Sed necesse est nomen Pammachi etiam in hoc ipso prooemio inesse. Quod nisi ita esset, non dicere potuisset Hieronymus nomine omisso: „tibi negare non potui.“ Hoc autem prooemium non est singulare. Multa simili modo sunt composita. Velut in Comm. epist. Philem. prol. (M. 26, 602 C) est: „Quae (scil. quae hac epistula continentur) orantibus vobis . . . . . explanare conabimur.“ Neque vero usquam dicit, quem velit pro se orare. Aeque profitetur in praef. transl. Jerem. (M. 28, 849) se crimina inimicorum esse passurum, „quia vos cogitis“. Quem autem significet, rursus non intellegere possumus nisi ex aliis eius operibus. Non multum differt apol. adv. l. Ruf. initium (M. 23, 397 A): „Et vestris et multorum litteris didici obici mihi in schola tyranni . . . . ., cur περὶ Ἀρχῶν libros in Latinum verterim.“ Vel in praef. in l. Judith (M. 29, 39) exponit librum non esse habendum in Canone Scripturae sanctae, „sed quia hunc librum Synodus Nicaena in numero

sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae, immo exactione eqs.“ Item est in praef. Dan. (M. 28, 1291 sqq.). Non aliter se res habet, si in initio prooemii ita incerte dedicationem adhibet ut in prol. transl. Hom. Orig. in Jerem. et Ezech. (M. 25, 583): „Magnum est quidem amice, quod postulas eqs.“, aut si alloquitur initio eos, ad quos librum mittit, nomina eorum autem multo post profert, velut in praef. in Ezram (M. 28, 1401).

In omnibus his prooemiis inest dedicatio, sed deest nomen eius, ad quem liber mittitur. Quod explicari non potest nisi memoria librorum corrupta. Ubi autem nomen positum erat in prooemio? Certe non in totius orationis contextu. Nam hoc si censeremus, miraremur, quod in tot prooemiis pari modo exstinctum esset. Extra proprium igitur prooemium nomen prolatum erat. Neque vero potest in extremo fuisse, cum iam in praecedentibus verbis atque praecipue in ipso initio scriptor amicum alloquatur. Exstabat ergo ante ipsum prooemium. Neque artius cohaerebat cum eo, ita ut facile omitti posset. Atque ea verba fuisse puto in exordio horum prooemiorum, a quibus initium sumere solebant antiqui in epistulis, cum ad haec omnia pertineant, quae adhuc demonstravimus. Atque profecto multa inveniuntur prooemia Hieronymi, in quibus conservata sunt illa verba. Velut prooemii transl. l. Psalm. j. Hebr. ver. (M. 28, 1123) initium est hoc: „Eusebius Hieronymus Sophronio suo salutem.“ Similia praefixit prooemiis transl. libr. Sal. (M. 28, 1243), l. Tobiae (M. 29, 23), l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 401), Quattuor Evang. (M. 29, 525). Eodem modo saepius finem facit prooemii, quasi scribat epistulam ad amicum quendam, non solum in iis prooemiis, quorum principium quoque est, quale in epistulis, ut in prooemio transl. l. Psalm. (M. 28, 1128): „Valere te in Domino Jesu cupio et meminisse mei.“; vel in praef. transl. Qu. Evang. (M. 29, 530 A), sed etiam ubi initium non consentit cum epistulis, sicut in l. de viris illustr. (Herding pg. 2, 23).

Hac ratione prooemium componendi tamquam epistulam Hieronymus sequitur auctores suos. Huius rei exempla profert Gräfenhain: De more libros dedicandi, Diss. Marb. 1892 pg. 33 sqq. Qui relegat cum ad alios libros tum ad Luciani librum, qui inscribitur *Νιγρῖνος ἢ περὶ φιλοσόφου ἤθους*, et ad Statii Silvas. Porro hoc loco laudandus est Hieronymi artis rhetoricae magister Donatus. Cuius ex commentariis, quos scripsit ad opera Vergili, exiguas tantum accepimus reliquias. Sed conservata est praefatio (ed. Wölfflin, Philol. 24, 154), quae ipsa quoque sic instituta est. Ab hoc viro docto discere potuit Hieronymus hanc rationem, quae maxime fuit pervulgata in eius prooemiis.

Quin etiam haud alienum mihi videtur explorare, utrum omnia prooemia hoc modo ornaverit necne. Nec tamen puto communem fuisse hunc usum omnibus prooemiis, etiamsi multo frequentior erat, quam his temporibus in codicibus legimus. Duabus enim causis impedimur, ne id credamus. Atque primum quidem intelleximus in nonnullis prooemiis nullum exstare dedicationis vestigium. In quibus in universum studere videtur lectorem, id est

quemlibet hominem, ad rem tractandam attendere. Hoc genus autem contrarium est dedicationi. Altera causa est haec: Saepissime nomen eius, cui liber mittitur, profertur in contextu primi enuntiati. Atqui non est verisimile tam exiguo spatio intermisso nomen eius, ad quem scribit, repeti. Colligendum ergo puto huius generis prooemia non fuisse instituta sicut epistulas.

Dedicationem in initio positam coniungi solere cum argumenti indicatione supra cognovimus (pg. 11). Item aliis rebus admiscetur. Velut, si de qua re agit, quae id spectat, ut melius intellegatur liber, in primo pronuntiato quasi praeteriens addit nomen eius, ad quem verba facit. Exemplo sit initium Comm. Jes. XV (M. 24, 513 D): ,,Crebro, Eustochium, dixisse me novi apostolos et evangelistas, ubicumque de Vetere Instrumento ponunt testimonia, ... Hebraicum magis quam Septuaginta Interpretes sequi eqs.“ Vel Comm. Hab. I (M. 25, 1273 A): ,,Primum, Chromati episcoporum doctissime, scire nos convenit . . . . .“ In Comm. Ezech. IX (M. 25, 265) exponit, qua ratione potissimum opus in singulos libros dividatur. Incipit autem ab his verbis: ,,Consequens erat, filia Eustochium, ut prophetiam Tyri et principis Tyri uno volumine comprehenderem eqs.“ In universam huius generis scribendi commendationem inserta est dedicatio in Comm. epist. Eph. I (M. 26, 439 A): ,,Si quidquam est, Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem virum teneat, ... id esse vel primum reor meditationem et scientiam Scripturarum.“

Quod hoc modo multis in prooemiis in initio dedicatio adhibetur, non est, quod mireris, cum pro natura sua ibi ponatur. Ita enim solet effici, ut certum quendam hominem, ad quem opus mittimus, alloquamur, sicut et Graeci dedicationem vocant *προσφώνησιν*. Allocutionem vero maxime convenit in ipso principio collocare. Etiam his temporibus eam toti operi praefigi vix est quod commemorem. Nisi forte scriptor cum initium sumat a locis quibusdam generalibus, aptius nomen amici profert posteriore loco. Neque vero abest suspicio eius generis prooemia initio instructa fuisse item ut epistulas; praesertim cum saepe sub fine demum nomen ponatur, verisimile est dedicationem in his iam initio exstitisse, sed memoria librorum perisse. Velut in Comm. Jerem. III 1, 4 (C S E L 59, pg. 151), postquam vehementissime vituperavit invidos, finem facit sic: ,,Verum haec alias. Nunc in Jeremiam tertium aggrediar librum, in quo conabor, frater Eusebi, latissimos explanationis campos angusta Commentariorum semita coartare.“ Cum eadem propositione coniuncta est dedicatio in Comm. Ezech. V (M. 25, 141), ubi, postquam repetivit, quod antea tractavit: ,,Nunc eiusdem prophetiae pars reliqua, inquit, ... quinto volumini et tuo, Eustochium, nomini dedicatur.“ Similis est etiam extrema pars prologi Comm. Jes. XI (M. 24, 378 B), item Comm. Ezech. VII (M. 25, 199 C). Saepius postquam longius recessit a proposito, id quod in multis prooemiis accidere vidimus, revertitur nomen ponens eius, ad quem librum mittit. Exemplo sit Comm. Ezech. VIII (M. 25, 232 B—C), ubi est in fine: ,,Haec, virgo Christi Eustochium, ex cordis

abundantia os locutum sit ..... Ceterum octavus in Ezech. liber, qui .... continet ....., hoc habebit exordium.“ Vel in Comm. Agg. prol. profert pauca de ipso propheta. Quae explent longe maximam partem prooemii. Tum demum librum amicis dat (M. 25, 1388 B): „Hoc propterea, o Paula et Eustochium, diximus, ut de ipso statim titulo, qua aetate Aggaeus propheta cecinerit, agnoscatis.“ Deinde nonnulla exponit, quae eadem pertinent ad vitam prophetae. Tamquam praeceptor videtur Hieronymus hoc loco, qui eos, ad quos librum mittit, re quadam imbuere velit. Paria saepius occurunt. Velut in Comm. epist. Tit. initio copiose disserit, utrum vere a Paulo scripta sit haec epistula necne. Deinde eàs res profert, quae sunt necessariae ad intellegentiam libri, quibus comperimus, quo ex statu rerum Paulus epistulam scripserit. Transitum autem facit appellans eos, quibus librum mittit (M. 26, 556 A): „Scribit igitur apostolus, o Paula et Eustochium, de Nicopoli eqs.“ Vel rationem dicendi adhibens usitatissimam in praef. duod. prophetarum (M. 28, 1015) profert haec: „Et quia longum est, nunc de omnibus dicere, hoc tantum vos, o Paula et Eustochium, admonitas volo eqs.“ Item in Comm. Osee I quaestionis ante rem propriam tractatae finem facit hoc modo (M. 25, 818 D): „Haec in principio prolixius sum locutus, ut difficillimam primum solverem quaestionem ..... Ceterum non ignoro, Pammachi carissime, a multis ecclesiasticis praetermissam eqs.“; in sequentibus verbis transgreditur, ad enumerationem omnium scriptorum, qui de re iam egerunt. In Comm. Jon. prol. dicit de rebus, quas ad intellegentiam libri necessarias putat. Profert omnes locos, quibus in aliis Scripturae sanctae libris de Jona narratur, et pergit (M. 25, 1119 B): „Ceterum non ignoramus, Chromati papa venerabilis, sudoris esse vel maximi totum prophetam referre ad intellegentiam Salvatoris eqs.“ Transit igitur hoc loco ad demonstrandam difficultatem rei. Cum quadam commendatione coniungitur hic usus appellandi amici in extremo prooemio in Comm. Naum prol. (M. 25, 1232 B): „De consummatione itaque mundi secundum ἀναγωγήν, o Paula et Eustochium, in consolationem sanctorum prophetia texitur.“ Vel in praef. l. Hiob (M. 29, 61 B): „Quapropter, o Paula et Eustochium, ... spiritualia haec et mansura dona suscipite.“ Aequum est in praef. l. Judith (M. 29, 40 A).

Satis multa exempla prolata sunt. Intellegitur in plurimis principiis dedicationem effici ita, ut scriptor quasi praeteriens nomine alloquatur eum, cui librum mittit. Neque solum in initio hic usus adhibetur, sed etiam in medio vel in ultimo prooemio. In his autem, quae proxime protuli, facile fieri potuit, ut nomen eius, qui librum accipit, tantum repeteretur initio exordii instituto sicut in epistulis. Hoc si censemus, non offendimur ea re, quod in extremo demum prooemio dedicatio continetur. Quod autem nomen bis profertur, non est, quod miremur. Nam apud ipsum Hieronymum invenitur exordium, cui quamquam sicut in epistula nomen praefixum est, tamen in verbis, quae sequuntur, repetitur. Praef. dico l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 401), cuius initium est hoc: „Eusebius Hieronymus Domnioni et Rogatiano

suis in Jesu salutem.“ In medio autem prooemio modestiam prae se ferens exponit: „Fateor enim, mi Domnion et Rogatiane carissimi, numquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse eqs.“ Nihil est, quo hic locus differat ab iis, quos supra laudavi, ubi dedicatio efficitur simplici appellatione. Sed utrum in illis initium epistulae memoria librorum perditum sit necne, certe diiudicari posse non puto. Neque enim coacti sumus hoc conicere, cum satis sit explicata dedicatio, si is, qui librum accipit, idoneo loco prooemii appellatur.

Qui autem sunt loci idonei in prooemio, quibus proferatur dedicatio? Etiam de hac re certum aliquid apud Hieronymum potest observari. Solet enim alloqui eum, cui librum mittit, omnibus locis, ubi transgreditur ad quid novum. Ad hanc rem, quam est tum expositurus, praecipue eius animum attendere studet. Qua de causa etiam in extremo prooemio, ubi accedit ad rem ipsam, hanc rationem adhibet.[1]) Nec non compluribus locis in eodem prooemio potest allocutione uti, quae librum certo cuidam homini missam esse prae se fert. Sicut in Comm. epist. Eph. I (M, 26, 439) initio laudat omnino studium Scripturae sanctae atque hac occasione data statim appellat Paulam et Eustochium, quibus librum dedicat. Crimina repellit, quae ei in hoc studio versanti adversarii obiecerunt, et pergit (col. 439 C): „Quam ob rem obsecro tam vos . . . . . quam sanctam Marcellam . . . . ., ne facile maledicis et invidis opuscula mea tradatis.“ Itaque incipit vehementissime accusare inimicos. Sed ipse Hieronymus minime idoneum se fingit, qui digne tantas res tractet. Qua de causa pergit: „Scitis enim et ipsae, quod ad hoc me explanationum opus invitum et retractantem compuleritis.“ Quamquam enim maxime operam navavit legendis atque interpretandis libris Scripturae sanctae, tanta sunt difficultate, ut vix fieri possit, ut satis perspicue explicentur. Tandem transgreditur ad epistulam ad Ephesios, quam nunc est explanaturus, his verbis: „Et quia iam ad Galatas orantibus vobis ante paucos dies, quid nobis videretur, expressimus, nunc ad Ephesios transeundum est eqs.“ (col. 441 A). Qui sint Ephesii quaeque ratio intersit inter eos et Paulum, verbose ostendit. Novam in hac disputatione partem profert his verbis: „Ut autem sciatis eos, qui in Epheso crediderant, daemoniaciis praestigiis et magiae fuisse artibus obligatos eqs.“ (col. 442 A). In extremo autem prooemio enumerat eos scriptores, qui iam antea huic epistulae interpretandae operam dederunt. Hanc autem prooemii partem orditur hoc modo (col. 442 C): „Illud quoque in praefatione commoneo, ut sciatis, Origenem . . . . . conscripsisse eqs.“

Ad eandem rem spectat etiam hic usus, quo ineunte prooemio liber cuidam dedicatur, postremo autem, ubi transitus fit ad ipsam rem tractandam, ut lectoris studium magis incitetur, allocutio iteratur. Exempli causa affero praef. in Pentat. (M. 28, 147), cuius initium est: „Desiderii mei desideratas

---

[1]) Eadem de causa poetae comici, sicut Terentius, in extremo prologo adhortari solent auditores, ut attento sint animo. cf. Andr. prol. 24—27. Eun. prol. 44—45.

accepi epistulas . . . . . obsecrantis, ut translatum in Latinam linguam de Hebraeo sermone Pentateuchum nostrorum auribus traderem."[1]) Deinde postquam de longe aliis rebus copiose locutus est, finem facit hoc modo (col. 152 A): „Verum haec contra invidos. Nunc te precor, Desideri carissime, ut, quia tantum opus me subire fecisti et a Genesi exordium capere, orationibus iuves." Similes sunt praef. in Ezram (M. 28, 1401), Transl. Hom. Orig. Jerem. et Ezech. (M. 25, 583), Comm. epist. Gal. I prol. (M. 26, 307).

Dedicatione homines, qui appellantur, provocari ad librum legendum non est, quod amplius ostendam; libenter enim legimus ea, quae mittuntur nobis ipsis. Captatio est quaedam benevolentiae, cum scriptor dignos nos putet, quibus tantum opus donet. Haec dedicationis vis valde augetur, si non modo brevi allocutione profertur, sed paulo amplificatur. Saepissime enim libros mittit ad familiares. Quibuscum si vera amicitia coniunctus est, facile fieri potest, ut inserat prooemio eas res, quae spectant non tam ad ceteros, quam ad ipsos amicos. Multo apertius et simplicius ibi loquitur, quam si ad quem alium librum mitteret commotus solo officio urbanitatis.

In Comm. Jes. V prol. (M. 24, 153 C sqq.) exponit haec: iam antea de re hoc libro tractanda se egisse. Quam dissertationem hac occasione data repetere se auctoritate sua indignum putare. Mittere igitur se opusculum illud ad amicam, ad quam universos in Jesaiam commentarios scribat, atque satis se habere addere brevem epistulam, quà illi hunc librum dedicet. Sed etiam proprium huius voluminis prooemium prorsus pertinet ad familiarem: „Hucusque, papa Amabilis, ... (adicit pauca, quibus ille laudetur) per litteras flagitabas, ut . . . . . (argumentum libri indicat), meque retractantem . . . . saepissime commonebas. Hoc autem anno misisti filium nostrum Heraclium diaconum, qui . . . . promissum per momenta exigeret." Deinde loquitur de difficultate rei et docet, quos libros assentiente amico postea conscribere in animo habeat. Revertens ad huius libri argumentum pergit: „Proposuisti . . . . . (enumerat omnes visiones, de quibus acturus est hoc libro)". Si pro gravitate rei ab omnibus partibus visiones illas tractaret, multum temporis se in hoc opere consumpturum esse et diu Amabili fore exspectandum. „Itaque, ut vis, singulis testimoniis breves sententiolas coaptabo eqs." Atque postremo loquitur de sua ratione componendi commentarios.

Quae profert in hoc prooemio, aliis locis saepe inveniuntur, sed omnia relata sunt ad eum, cui opus mittitur. Praecipue is locus, ut scriptor dicat epistula vel nuntiis alicuius amici sese esse commotum, ut librum conficeret, frequens est in Hieronymi libris. Cum autem nonnumquam nihil sit nisi ornamentum quoddam omni momento carens, in plerisque prooemiis coniungitur cum dedicatione. Hanc consuetudinem suam ipse testatur in Comm. Amos III (M. 25, 1057 C): „Praepostero ordine atque confuso duodecim pro-

[1]) Haec ratio appellandi tertia, ut dicitur, persona singularis est apud Hieronymum, neque aliud huius generis inveni exemplum. Sed dedicationem inesse in his verbis apparet ex postremo prooemio.

phetarum opus et coepimus et . . . . . complebimus. Non enim a primo usque ad novissimum iuxta ordinem, quo leguntur, sed ut potuimus et ut rogati sumus, ita eos disseruimus.“ In verbis, quae sequuntur, singulas totius operis partes enumerat, quibusque eas miserit, exponit; in quibus animadvertas, quam varii sint loci dedicationis: ,,. . . . προσεφώνησα . . . . delegavi, ... imperanti edisserui, ... (viris quibusdam) interpretatus sum.“ Exempla autem huius generis iam protulimus, cum ageremus de argumenti indicatione, quacum semper fere hic usus una profertur (pg. 11).

Augetur huius rationis vis, si scriptor ostendit vehementer et iterum atque iterum iam amicos opus flagitasse, sicut in praef. l. Tobiae (M. 29, 23 A) et in Comm. Ezech. XII (M. 25, 369 C) vel in Comm. Evang. Matth. (M. 26, 20 A), ubi amicum petivisse dicit a se certis de causis, quae afferuntur, ut summa cum celeritate opus conscriberet. Nuntium, qui opus per epistulam postulatum auferat, quique temporum necessitate coactus id unum spectat, ut quam celerrime proficiscatur, item adhibet in Comm. Zach. I (M. 25, 1415—18 A) et in eiusdem operis l. III (M. 25, 1497 C).[1])

Nonnumquam addit, qua causa commoti amici librum a se postulent, velut in praef. transl. Hom. XXXIX Orig. in Luc. (M. 26, 219 A), cuius initium supra alia de causa posuimus (pg. 38/39). Similiter in praef. l. Psalm. j. Hebr. ver. (M. 28, 1123 sqq.), ubi, postquam de divisione operis disseruit, exponit cum adversario quodam Sophronium, cui librum mittit, de Psalmis disputasse. Sed cum nonnullos locos ex iis attulerit, illum contendisse non exstare ea verba in Psalmis. Qua de causa Sophronium a se petivisse, ut denuo summa cum diligentia librum verteret, ut Psalmi veri inspici possent etiam in litteris Latinis. ,,Aiebas enim te magis interpretum varietate turbari et amore, quo laberis, vel translatione vel iudicio meo esse contentum.“[2])

Interdum complures res obstant, ne desiderio amicorum obsequatur, velut difficultas rei, crimina adversariorum, alia opera, in quibus scribendis versatur. Omnibus autem his rebus impediri se negat, quin expleat, quod amici optaverint. Sicut in praef. l. Tobiae (M. 29, 24) legimus haec: ,,Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio . . . . . Sed melius esse iudicans pharisaeorum displicere iudicio . . . . . institi, ut potui. Orationibus vestris mercedem huius operis commensabo, cum gratum vobis didicero me, quod iubere estis dignati, complesse.“ Non multum differt transl. Hom. XXXIX Orig. in Evang. Luc. prol. (M. 26, 219 B): ,,Perspicitis enim, quantum apud me et auctoritas vestra et voluntas valet. Praetermisi paululum Hebraicarum Quaestionum libros, ut ad arbitrium vestrum . . . . haec . . . . dictarem.“[3]) — In Comm. Matth. prol. docet se summa cum celeritate librum conscripsisse (M. 26, 21 A): ,,Nec hoc de arrogantia et fiducia ingenii dictum putes, sed

---

[1]) cf. epistulam, quam Cicero una cum Academicis libris misit ad Varronem, § 1; porro Horatii epist. I 13.

[2]) cf. Varronis rer. rust. I, 1—2. Ciceronis Top. 1, 1.

[3]) cf. auct. ad Her. I 1, 1; Ciceronis Top. 1, 1; A. Hirti de B. Gall. Comm. VIII.

ostendere tibi cupiam, quantum apud me valeas, qui periclitari magis apud doctos voluerim, quam tibi sedule postulanti quidquam negare."

Saepius etiam confirmat se opus conscribendum tum demum subisse, postquam diu dubitaverit, utrum omnino amico obsequeretur necne. Si enim desiderium eius neget, fore, ut videatur ingratus, sin autem opus aggrediatur, manifestum fore se non idoneum esse, qui tantam rem tractet. In hac perturbatione animi semper tandem libro operam dare constituit. Nam confitetur in praef. l. Psalm. (M. 28, 1125 A): „Malui te vires potius meas quam voluntatem in amicitia quaerere."[1]) Conferre licet Comm. Ezech. XII, qui de re obscurissima est. Iam in l. XI prol. (M. 25, 325 C) Hieronymus dixerat: „Quem (scil. l. XI) si adiuvante Domino et sua mysteria disserente potuero ad calcem usque perducere, diu mihi erit multumque dubitandum, utrum ad spiritale templum debeam mittere manus an aperte ignorantiam confiteri eqs." Ad quae Eustochium, cui totum opus mittitur, epistula respondisse manifestum est, qua eum orabat atque obsecrabat, ne gravissima parte omissa imperfectum opus relinqueret. Ad hanc epistulam Eustochii pertinet, quod legimus in l. XII prol. (M. 25, 369 C): „Trepidationem meam in explanatione templi Ezechiel, immo tacendi perseverantiam tuae, filia Eustochium, preces .... superarunt. Et qua nos excusatione usi sumus, ut in calce anterioris voluminis diceremus melius esse nihil quam parum dicere (cf. finem l. XI, M. 25, 370 C), tu eam vertisti in contrarium, ut referre putes saltem parum quam nihil dicere eqs." Atque longius recurrit ad verba Eustochii. Conferre licet etiam Comm. epist. Gal. III (M. 26, 399 sqq.), vel id prooemium, unde egressi sumus, Comm. Jes. V (M. 24, 154 C). Praeclarissimum autem huius rei exemplum est praef. in Ezram (M. 28, 1401 D), cuius in initio sunt haec: „Utrum difficilius sit, facere, quod poscitis, an negare, necdum statui. Nam neque vobis aliquid imperantibus abnuere sententiae est et magnitudo oneris impositi ita cervices premit eqs." Mire consentit cum hac ratione exordium, quale in Ciceronis Oratore: „Utrum difficilius aut maius esset negare tibi saepius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque dubitavi. Nam et negare ei, quem unice diligerem ....., durum admodum mihi videbatur et suscipere tantam rem ..... vix arbitrabar esse eius, qui vereretur reprehensionem doctorum atque prudentium." Qui locus a Luebeckio pg. 132 sq. certe praetermissus est.

In contrarium conversa est haec ratio respondendi ad epistulam amici cuiusdam in Apol. adv. Ruf. III (M. 23, 457 sq.), ubi epistulam adversarii, quam paulo ante accepit, refellere studet. Ostendit calamitates, quas ut Hieronymus subiret, ille optaverat, re vera minime esse timendas atque ridiculum esse, quod ille sibi maledixerit.

Sed iam redeamus ad Comm. in Jes. V. Etiam quod Hieronymus dicit in hoc prooemio se ratione interpretandi prorsus ei obsecuturum esse, qui opus a

[1]) cf. Cic. Orat. 1, 2: „Malo enim, cum studio tuo sim obsecutus, desiderari a te prudentiam, quam si id non fecerim, benivolentiam."

se postulaverit, cum quam brevissime gravissima quaeque complectatur et praecipue eas res, quae ad intellegenda verba Scripturae sanctae necessariae sint, saepius invenitur. Ut pauca afferam exempla, haec legimus in Comm. Evang. Matth. prol. (M. 26, 20 C): „Igitur omissa auctoritate veterum, quos nec legendi nec sequendi facultas mihi data est, historicam interpretationem, quam praecipue postulasti, digessi breviter et interdum spiritualis intellegentiae flores miscui, perfectum opus reservans in posterum." Similia sunt in Comm. Jes. X (M. 24, 350 D), ubi verba facit de ratione opus in singulos libros dividendi: „Itaque, ut voluisti, virgo Christi Eustochium, et ut in commune placuit, sicut et superiores ante dictavi, et hunc et reliquos . . . . . dictabo libros eqs."

Aliud prooemium, quo familiariter loquitur cum amico, est in Comm. Osee III (M. 25, 903 D), cuius initium est hoc: „Non ignoro, Pammachi, difficillimum me duodecim prophetarum opus cudere. . . . . . Sed quia tibi hortanti, immo imperanti, negare nihil possumus, ... quidquid possumus, primum Deo, deinde tibi, qui Dei es, solvimus. . . . . . Cumque apertum fautorem pro iure amicitiae esse te gaudeam, tacitum eruditionis tuae iudicium pertimesco." Nam cum inimici invidia incensi maledicant, ubicumque possint, amicum non intueri personam scribentis, sed solam rem tractatam. „Quamquam et amor recipiat errorem . . . . ., attamen in istam partem peto magis, ut labaris non odio, sed amore." Indicat argumentum libri et pergit: „Nobisque interpretationis vela pandentibus, tu debes propheticum illud dicere: A quattuor ventis caeli veni, spiritus eqs."[1])

Etiam in hoc prooemio insunt complures loci frequentes. Saepissime enim demonstrat in prologis rem, quam sibi proposuit, esse difficillimam. Qua de causa opus esse eos, qui legant librum, benevolentia uti atque vitia et errores, si qui insint, benigne neglegere.[2]) Multis in prooemiis quasi se excusat, quod liber non satisfaciat amicorum voluntati. Velut propter amplitudinem operis veniam petit in Comm. Jes. VIII (M. 24, 281): „Quae (scil. interpretatio) si longa tibi videbitur, o virgo Christi Eustochium, non mihi imputes, sed Scripturae sanctae difficultati eqs." Aut in Comm. epist. Eph. II legimus haec (M. 26, 477 A): „Quapropter . . . . . precor, ut sciatis me non cogitatum diu limatumque proferre sermonem, sed ad revelanda mysteria Scripturarum uti verbis paene de trivio." Conferre licet Comm. Ezech. III (M. 25, 76 D) neque minus Zach. III (M. 25, 1497 C), ubi exponit nuntium, qui librum exigat, ad alia negotia profecturum tantopere se urgere, ut librum conficiat, ut ne emendandi quidem librum tempus habeat, neque dissertationem „composito liceat ornare sermone. Rudes igitur, non mea culpa, sed studio portitoris suscipe libros."

---

[1]) De imagine navigationis, quam saepius adhibet in prooemiis, vide infra pg. 88/89.

[2]) cf. Terentii Heaut. tim. prol. 26—28.

Postea videbimus scriptorem, cum incultam orationem suam excusare studeat, ut in hoc prooemio, quod proximum protuli, commemorare solere citissime verba sua dictare sese fuisse coactum. Quam celeriter autem opus conscripserit, eius rei nonnumquam eos ipsos, quibus librum mittit, testes provocat. Exemplo sit Comm. in Evang. Matth. prol. (M. 26, 21 A): „Certe nosti, et mendacii mei erubescerem te testem vocare, quod praesens opusculum tanta celeritate dictaverim eqs.“[1]) Vel ut ostendat, quam non sit arte rhetorica Romanorum imbutus, haec dicit in Comm. epist. Gal. III (M. 26, 399 C): „Nostis enim et ipsae, quod plus quam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas numquam Tullius, numquam Maro, numquam gentilium litterarum quilibet auctor ascendit.“[2])

Rei igitur difficultate evenit, ut indulgentia lectorum opus sit, quos ut taedeat libri legendi, diversis de causis facile fieri potest. Admonet igitur eos, ut diligenter legant, et praecipue, si pervulgare velint librum, ut caveant, ne describendi neglegentia vitiis sermo corrumpatur. Unum satis est proferre exemplum. In praef. in Ezram legimus haec (M. 28, 1403 A): „Itaque obsecro vos, mi Domnion et Rogatiane carissimi, ut privata lectione contenti, librum non efferatis in publicum nec fastidiosis ingeratis cibos. . . . . . Si qui autem fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar admonentes, ut Hebraea nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distincte et per intervalla transcribant. Nihil enim proderit emendasse librum, nisi emendatio librariorum diligentia conservetur.“ Similiter, ut curiose liber legatur, adhortatur in praef. l. Jos. (M. 28, 462 C), ut transcribatur, in praef. Chron. (ed. Helm, pg. 5, 14 sqq.) et in praef. l. Paral. (M. 29, 119 A).

Sed cum res tractanda sit difficillima, non solum opus est amicos libro favere, cum legunt, sed etiam eos scriptorem tueri et adiuvare, dum in scribendo versatur. Atque primum quidem eget auxilio Dei, ut res digne illustretur. Quod ut assequatur, amicos orat, ut precibus sibi adsint. Sic est in Comm. Ezech. XI (M. 25, 325 C): „Et interim, ut praesentis operis cura nos teneat, scias, o virgo Christi Eustochium, orandum tibi esse pro nobis. In prophetia difficillima. . . .“ Non aliter in Comm. Jerem. VI ostendit, quam praeclara, sed eadem obscura sit res, et pergit (cap. 1, 4; C S E L 59, pg. 368): „Ora igitur, frater Eusebi, dominum Jesum Christum, ut eodem labore et Spiritus gratia, quo aliorum prophetarum . . . . repromissiones interpretati sumus, etiam huius prophetae explanare valeamus.“ Conferre licet Comm. Dan. (M. 25, 492 A) et Jes. XIV (M. 24, 477 C). Nonnumquam hic usus brevissime adhibetur, cum dicat tantum: „orationibus tuis“ vel similia ut in Comm. Ezech. XIV (M. 25, 449 A): „Quem (scil. hunc librum) si orante te, virgo Christi Eustochium, ad finem usque perduxero, transibo ad Jeremiam eqs.“ Idem fere

---

[1]) cf. Statii Silv. I prooemium.

[2]) Non multum differt Ciceronis Top. 1, 4.

inest in Comm. Jes.VII (M. 24, 239 D). Ampliora facit verba in Comm. Ezech. X (M. 25, 295 D): „In quibus disserendis, o virgo Christi Eustochium, eleva cum Moyse manus, ut nostra victoria tuarum orationum fructus sit.“ Eandem imaginem, quam hoc loco breviter attingit, saepius copiosissime explanat, velut in Comm. Jes. II (M. 24, 57 A): „Unde obsecro te, virgo Christi Eustochium, ut nobis in Scripturarum explanatione certantibus tu cum Mose ad Dominum eleves manus, ut, qui exeuntes de Aegypto mare transivimus Rubrum, vincamus Amalec eqs.“ Paulo longius extensa eadem collatio invenitur in Comm. Joel. (M. 25, 918 A—B) et in Jerem. V 1, 2 (C S E L 59, pg. 294). — Alia exempla huius rationis usitatissimae sunt: Comm. Jes. III (M. 24, 91 A), IV (M. 24, 129 A), VI (M. 24, 205 D), Ezech. VI (M. 25, 167 A), Zach. II (M. 25, 1454 D), III (M. 25, 1497 D), Amos II (M. 25, 1023 B).

Sed etiam, ut alio modo se adiuvent, amicos orat scriptor. Maxime enim impeditur in scribendo adversariorum inimicitiis. Magno igitur ei solacio est scire amicos sibi adesse. Quam ob rem saepe petit, ut se ab illis defendant. In prol. galeato, qui dicitur (M. 28, 558), primum alloquitur eas, quibus librum mittit, hoc modo: „Sed et vos famulas Christi (Paulam et Eustochium significat, sed desunt nomina, id quod animadvertas!) rogo, ... ut contra latrantes canes, qui adversus me rabido ore desaeviunt . . . . ., orationum vestrarum clipeos opponatis.“ Similia sunt in Comm. Osee II (M. 25, 860 C), item paulo brevius in Comm. Mich. II (M. 25, 1189 C). Maxime autem laudandus est hoc loco Comm. Joel. prol., ubi auxilio amici fretus (M. 25, 948 B): „Insurgat licet scorpio, inquit, et arcuato vulnere ferire conetur: tu comes itineris et excantator venenatorum morsuum spiritualem nobis ψυλλέα (vide, quid Migne l. l. annotaverit) exhibe, quodque sanctae ac venerabili Paulae parenti tuae polliciti sumus, pius heres suscipe, et quidquid vel ingenio vel doctrina minus tua exspectatione possumus, amici favore sustenta nec in nobis vires consideres, sed voluntatem.“[1])

Ab adversariorum criminibus scriptor etiam ea re defenditur, quod libri omnino non illis traduntur. Compluribus igitur locis petit Hieronymus a familiaribus, ut caveant, ne temere opus invidorum calumniis prodant. Talia sunt in praef. in Ezram, quam accuratius supra protuli (pg. 52), et in Comm. epist. Eph. prol. (M. 26, 440 A): „Quam ob rem obsecro . . . . ., ne facile maledicis et invidis opuscula mea tradatis.“

His omnibus rebus, quae proximo capitulo disseruimus, Hieronymum sequi artem rhetoricam apparet ex auct. ad Her. I 5, 8: „Ab nostra persona benivolentiam contrahemus, ... si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem et si orabimus, ut nobis sint auxilio (scil. iudices, ad quos in oratione iudiciali sermo adhibetur), et simul ostendemus nos in aliis noluisse spem habere.“ Ratio autem, qua Hieronymus hunc usum

[1]) cf. Ovidii Fast. I 3—6, II 15—18. Licet etiam meminisse usum scriptorum, qui fuerunt Caesarum temporibus. Qui non solum ab imperatoribus, ad quos opera mittebant, petiverunt, ut libro faverent, sed qui ut deos eos venerati sunt. Quamquam a tanta ineptia Hieronymus longe abest.

excoluit, maxima ex parte eius est propria neque artius ex antiquioris aetatis scriptoribus pendet. Multae eius species etiam ea re perficiuntur, quod summo cum studio fidem Christianam confessus est, atque quod plurimorum inimicitias subiit, a quorum criminibus se tueri studebat in prooemiis.

Haec omnia, quae scriptor profert de se ipso, de opere suo, de inimicis vel similia, quamquam cum amicissimo se fingit communicantem, tamen in universum prodest lectores docere. Sunt autem prooemia, in quibus ad tantam familiaritatem loquendi procedit, ut dicat de alio quodam amico, qui ipse quoque eo, ad quem liber scribitur, familiariter utitur, id quod ad rem tractandam omnino non spectare perspicuum est. Sermo dirigitur ad eum solum, cui liber mittitur, non ad ceteros homines. Manifestum est Hieronymum talia prooemiis inserere tantum in iis libris, in quibus alloquitur amicissimos. Haud raro tamen occurrunt. Velut in Comm. Ezech. I (M. 25, 15 A) initio admonet de opere, cui adhuc operam dedit, et quid nunc sit scripturus, profert. Cum hac indicatione argumenti coniungit dedicationem, cum ostendat se opus iis, ad quos missurus est, saepe iam pollicitum esse, et pergit: „Et ecce subito mors mihi Pammachii atque Marcellae, Romanae urbis obsidio multorumque fratrum et sororum dormitio nuntiata est.“ Summisque laudibus effert societatem Christianorum, quae Romae fuit, maximeque maeret eius interitum: „. . . . . clarissimum terrarum omnium lumen exstinctum est, immo Romani imperii truncatum caput et, ut verius dicam, in una urbe totus orbis interiit.“ — Simillimum est initium Comm. epist. Gal. I (M. 26, 307), ubi non tam eam, quae est morte ei erepta, quam amicam matre orbatam queritur. Praedicat eius in legendis Scripturae sanctae libris industriam et optat, ut hoc opus, quod nunc scribit, solacio ei sit. Non multum differt Comm. Jes. XVIII (M. 24, 627) initium, quod est: „Duodevicesimus in Jesaiam, immo extremus liber, tuo, o filia Eustochium, et sanctae matris tuae Paulae nomini dedicatur, ut, quas pari honore suspexi, aequa commemoratione nunc recolam eqs.“ Alios quoque familiares idem opus a se petivisse exponit. Item in Comm. epist. Eph. II prol. (M. 26, 477 A) laudat amicam quandam, quae quidem non minus familiariter utitur Paula et Eustochio, ad quas librum mittit.

Nonnumquam etiam in extremo prooemio profert tales res, quae pertinent ad eum solum, qui librum accipit, cum re autem tractanda non aut paululum cohaerent. Velut in praef. l. Psalm. j. Hebr. ver. (M. 28, 1126 A) legimus: „Quod opusculum meum, si in Graecum, ut polliceris, transtuleris . . . . ., dicam tibi illud Horatianum: ‚In silvam ne ligna feras.‘ Nisi quod hoc habebo solamen, si in labore communi intellegam mihi et laudem et vituperationem tecum esse communem.“ Prorsus alienum a proposito est, quod legimus in fine praef. transl. Hom. XXXIX Orig. Luc. (M. 26, 220 A—B) Praeterea Commentarios viri eloquentissimi Hilarii et beati martyris Victorini, quos in Matthaeum ediderunt, post paucos dies ad vos mittere disposui, ne

ignoretis, quantum nostris quoque hominibus sanctarum Scripturarum quondam studium fuerit.“ Vel in Comm. Evang. Matth. prol. fine (M. 26, 22 A): „Unde obsecro, ut . . . . des exemplaria, cum Romam veneris, virgini Christi Principiae, quae me rogavit, ut in Canticum Canticorum scriberem, a quo opere exclusus aegrotatione diuturna spem in futurum distuli eqs.“ Narrat etiam in prooemio nonnumquam amicis, quomodo opus perfecerit. Velut in interpr. l. Did. de Spir. sancto praef. (M. 23, 101 sqq.) exponit iam antea, cum Romae versatus sit, idem opus se urbis pontifici dedicare in animo habuisse, sed tum adversariorum inimicitiis sese esse coactum opus in aliud tempus differe. Qua de causa in Palaestinam se confugisse, ne ab illis opprimeretur. „Itaque, mi Pauliniane frater, quia supradictus pontifex Damasus, qui me ad hoc opus primus impulerat, iam dormit in Christo, tam tuo quam venerabilium mihi ancillarum Christi Paulae et Eustochii nunc adiutus oratu canticum, quod cantare non potui in terra aliena, hic a vobis in Iudaea provocatus immurmuro eqs.“ Similia inveniuntur in Comm. Eccles. prol. (M. 23, 1009 C).

Unum autem est, quod valde mireris in his rebus, quas narrat familiaribus in prooemio. Saepissime enim tristes sunt res, quas cum iis communicat, velut mors cuiusdam amici. Ne hoc quidem casu fit. Nam apte studet praeparare lectores ad maiestatem Scripturae sanctae, quam interpretatur. Severos igitur et graves reddit eorum animos, cum profert eas res, quibus magnopere afflictentur. Vide, quod Cicero docet in l. de inv. I 17, 25: „. . . . si rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triste, novum, horribile statim non incommodum est inicere.“ Idem praecipit Victorinus, quem Hieronymus adulescens Romae novit (Halm, rhet. Lat. min. pg. 200, 2—6).

Prooemiorum, quae adhuc attuli, dedicatio effecta est officio amicitiae. Accedit alia causa, qua scriptor commovetur, ut alicui librum mittat, scilicet ut eum honore afficiat. Qua tamen causa illa non excluditur, ita ut optime ambae inter se coniungi possint atque re vera saepissime coniungantur. Ad eum, qui librum accipit, hoc dono magna defertur gloria, cum nomen eius non minus quam ipsius scriptoris libro nobile fiat. Augetur haec vis dedicationis, si scriptor nonnullas laudes addit, quibus ille efferatur. Multis in prooemiis Hieronymus simplicem appellationem amplificat appositione, quam dicimus, qua, qui librum accipit, maxime celebretur. Velut in Comm. Jes. XIII, postquam imagine navigationis adhibita de periculo tantum opus conscribendi locutus est, orat amicam, ut precibus se adiuvet (M. 24, 443 A): „Quam ob rem, Eustochium, in toto orbe terrarum unicum nobilitatis et virginitatis exemplum, ne . . . . .“ Simile est in Comm. Dan. prol. (M. 25, 492 A): „Itaque obsecro vos, Pammachi φιλομαθέστατε et Marcella, unicum Romanae sanctitatis exemplar, iunctos fide et sanguine, ut conatus meos vestris orationibus adiuvetis.“ Paria adiciuntur in l. Hiob alt. vers. praef. (M. 29, 61 B). Paulo amplius hac ratione utitur in praef. in l. Sam. et Mal. (M. 28,

558 A), ubi sub finem, ut ab inimicorum calumniis defendatur, petit hoc modo: „Sed et vos famulas Christi rogo, quae Domini discumbentis pretiosissimo fidei myro unguitis caput, quae nequaquam Salvatorem quaeritis in sepulcro, quibus iam ad Patrem Christus ascendit, ut . . . .“ Nonnumquam copiosissime eum, qui librum accipit, laudibus effert velut in Comm. Zach. I (M. 25, 1417), ubi maxime celebrat Exsuperii Tolosani episcopi, ad quem scribit, de societate Christianorum merita. Ubi cum alia legimus tum haec: „Audio te in valle lacrimarum, in loco, quem Deus posuit ad certamen, ut vincentibus coronam daret, ascensiones in tuo corde disponere et ire de virtute in virtutem et imitari Domini paupertatem, ut cum illo dives fias et in te reclinet caput et per singulos dies suscipiatur, visitetur, alatur, vestiatur, et praecipue sanctarum Scripturarum lectione fervere.“[1])

Ut hanc dedicationem, quae efficitur honoris causa, significet, Hieronymus utitur certa ratione dicendi, cuius afferam duo exempla, quae tamen multo frequentior est in eius prooemiis. Exponit enim semper se illi viro pro eius in societatem hominum beneficiis gratiam referre cupere, cum opusculum quoddam, cui forte operam det, ei dedicet. Haec legimus in Comm. Zach. I (M. 25, 1417 B): „Cumque tibi cuperem ingenioli mei aliquid offerre munusculum et coepta in duodecim prophetas explanatio perveniret ad calcem, susceptum opus deserere nolui, sed quod et absque te dictaturus eram, tuo potissimum nomini consecravi eqs.“ Similia insunt in Comm. Mal. prol. (M. 25, 1542 C): „. . . . mi Minervi et Alexander, non tam sanguine quam religione concordes, ne susceptum opus dimitterem prophetarum et extraordinario vobis labore sudarem . . . .“

Iam finem faciamus in usu dedicationis explorando. Quibuscumque de causis effecta est, semper ei, qui librum accipit, incitamento est, ut maiore cum industria libro utatur. Sed etiam scriptor ipse dedicatione adducitur, ut studiosius in scribendo versetur. Manifestum hoc est in permultis illis prooemiis, in quibus, cum librum conficiat, desiderio cuidam amicorum se obsequi dicit. Sed etiam in ceteris libris, qui dedicantur, facile hoc intellegitur. Multo enim libentius scribimus, si antea iam scimus amicos librum esse lecturos quam quoslibet homines ignotos.

Neque vero scriptor satis habere potest eos solos libro operam dare, ad quos mittit, sed optat, ut quam maxime pervulgetur. Debet igitur alloqui non solum eum, cui forte librum dedicat, sed etiam ceteros homines. Hac re, si severe censeas, dedicationem tolli perspicuum est. Non raro tamen Hieronymus eius fines transgreditur atque aperte ea abutitur. Pauca satis est exempla proferre. Ut omittam eos locos, quibus dedicatione adhibita cum adversariis

[1]) Conferre licet scriptorum, qui fuerunt temporibus Caesarum, usum dedicandi opera ipsis Caesaribus. Quos immodice laudibus efferebant, sicut Lucanus Phars. I 45 sqq., Statius Theb. I 22 sqq., Plinius Nat. Hist. I 1 sqq., Vitruvius I 1 sqq., alii. Sed etiam in libris aurea, quae dicitur, Latinitate conscriptis talia non desunt. Breviter relego ad Ciceronis Cat. M. 1, 1; de fin. III 2, 6; Horatii carm. I 1, 1—2.

contendens figura ἀποστροφῆς utitur, saepius laedit dedicationem ad unum directam, cum alloquitur ceteros quoque lectores. In Comm. epist. Gal. III prol. multa profert de difficultate operis et tandem, quam ad rem ipse praecipue spectet, accurate indicat his verbis (M. 26, 400 C): „Quorsum ista? Videlicet, ut et vobis et ceteris, qui forte legere voluerint, sit responsum me non panegyricum aut controversiam scribere, sed commentarium, id est hoc habere propositum . . .“ Similiter dicit in Comm. epist. Eph. II (M. 26, 477 A): „Quapropter et illam (scil. sanctam Marcellam, de qua supra verba fecit, v. pg. 54) et vos et, si quis forte lecturi sunt, in commune precor, ut sciatis . . . .“ Aequum est in Comm. Ezech. III (M. 25, 76 D) et in praef. l. Psalm. (M. 29, 119 A). Ipse nonnumquam rogat eos, quibus librum dedicat, ut aliis quoque hominibus benevolis librum suum dent. Velut in praef. in Ezram legimus haec (M. 28, 1403 A): „Si qui autem fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar eqs.“ In aliis prooemiis propriam dedicationem adhibet demum in fine, antea autem iam in universum lectores appellat; velut in prol. galeato in media parte sunt haec (M. 28, 557 A): „Quae cum ita se habeant, obsecro te, lector, ne . . . .“ et paulo post: „Lege ergo primum Samuel et Malachim meum . . . . et, cum intellexeris, quod antea nesciebas, vel interpretem me aestimato, si gratus es, vel παραφραστήν, si ingratus. . . . . Certe si incredulus es, lege Graecos codices eqs.“ Postquam hoc modo ad lectorem incertum verba fecit, dedicationem propriam profert ita: „Sed et vos famulas Christi rogo eqs.“ (v. pg. 53 et 55/56). Similia sunt in praef. l. Jes. (M. 28, 702 B): „. . . . nihilominus hoc a fastidiosis lectoribus precor, ut . . . . Quem (scil. Christum) quanto plus amatis, o Paula et Eustochium, tanto magis ab eo petite, ut . . . .“ Simile legimus in Comm. Jes. XI (M. 24, 377 sqq.). Interdum familiarissime alloquitur eum, ad quem librum mittit, et paulo post iam dedicationem prorsus videtur oblitus esse. In Comm. Ezech. XII, de cuius initio supra diximus (pg. 50), in eodem pronuntiato haec inveniuntur (M. 25, 369 D): „Obsequar igitur voluntati tuae . . . . . fastidiosoque lectori, immo animo perduelli nostra lecturo, illud . . . . denuntio . . .“ Certe duae res, quae non inter se consentiunt, hoc loco coniunguntur. Conferre licet ad hanc rem praef. in l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 401 sqq.) et in l. Salom. (M. 28, 1241 sqq.), item Comm. Jes. XVIII (M. 24, 627), cuius initium supra commemoravimus (pg. 54), in extrema autem parte est: „Si cui autem explanationum in prophetas displicet longitudo eqs.“

Ut hoc modo abutatur dedicatione, scriptor commovetur ea re, quod non solum paucos illos, ad quos librum mittit, sed etiam ceteros homines ad legendum studet incitare. Quod ut efficiat, non hac via debet procedere, sed alia ei praesto sunt artificia, quorum nonnulla cognovimus. Quae insunt in rei gravitate, utilitate, novitate, ceteris. Item aliis de causis generalibus librum conficiendum se subisse exponere potest, quibus tamen non videtur suum petere commodum, sed homines miseros atque imperitos erudire et

veritatem ad lucem perducere vel similia. Si tam egregiis causis ad scribendum se impulsum esse dicit, certe videtur vir bonus atque libri eius digni sunt, qui non solum legantur, sed etiam quibus fides habeatur. Conferre licet auct. ad Her. I 5, 8: „Ab nostra persona benivolentiam contrahemus, si nostrum officium sine arrogantia laudabimus.“ Simile est in Ciceronis de inv. I, 16, 22.

In l. contra Vigil. prol. legimus haec (M. 23, 342 A): „Est quidem imperitus (scil. Vigilantius) et verbis et scientia et sermone inconditus; . . . . . sed propter homines saeculi et mulierculas oneratas peccatis, semper discentes et numquam ad scientiam veritatis pervenientes una lucubratiuncula illius naeniis respondebo, ne sanctorum virorum, qui ut haec facerem, me deprecati sunt, videar litteras respuisse.“ Vel in extrema l. in Jes. praef. (M. 28, 774 A): „Qui (scil. Christus) scit me ob hoc in peregrinae linguae eruditione sudasse, ne Judaei de falsitate Scripturarum Ecclesiis eius diutius insultarent.“[1]) Haud secus in l. contra Joh. Hieros. eum, ad quem librum mittit, testem adhibet boni sui animi (M. 23, 365 A—B): „Nosti, Pammachi, nosti me ad hoc opus non inimicitiis, non gloriae cupiditate descendere, sed provocatum litteris tuis ex ardore fidei.“

In hoc exemplo, quod proxime protulimus, verae causae, qua se commotum esse docet, alias opponit Hieronymus, quas prorsus negat. Si enim inimicitiis ad opus impulsus esset, non iuste de re scribere posset, itemque, si gloriae cupiditate incensus, fides ei derogaretur. Similiter se habet res, quotienscumque qua causa vituperanda ad librum inducitur. Hae ergo omnes ei sunt reiciendae. In initio Apol. adv. Ruf. II sunt haec (M. 23, 425 A): „Propositum quippe mihi est non tam alios accusare, quam me defendere.“ Apertius etiam hoc est in dial. adv. Pelag. prol., ubi propriam disputationem inserit, qua ostendat se probis tantum causis ad scribendum esse commotum. Quae incipit ab his verbis (M. 23, 497 A): „Adversum eos autem, qui me dicunt hoc opus inflammatum invidiae facibus scribere, breviter respondebo numquam me haereticis pepercisse et omni egisse studio, ut hostes Ecclesiae mei quoque hostes fierent.“ Nonnullos adversariorum libros affert atque demonstrat, quam non sit, cur illis invideat. Deinde, quomodo hunc librum instituerit, exponit, „ut omnibus probarem me non odisse homines, sed errores, nec aliquorum infamiam quaerere, magisque dolere vicem eorum, qui falsi nominis scientia supplantantur.“ Ad calumnias Rufini respondet in Apol. III (M. 23, 457 B): „Ego nulli scandalum facio, nec accusator interim tui sum. Non etenim considero, quid tu merearis, sed quid me deceat. . . . . Et hoc dico, non quod accusationis tuae gladios pertimescam, sed quod magis accusari velim, quam accusare et pati iniuriam quam facere.“ Conferre licet Ciceronis pro Rosc. Am. 83, in Caecil. 1, Verr. II 3, 1—3, pro Cluent. 10 etc. (v. R. Preiswerk, De inventione Orationum Ciceronianarum, Diss. Basil. 1905, pg. 11), porro auct. ad Her. I 1, 1.

---

[1]) Non multum differt Ciceronis de nat. deor. I 4, 7 vel de div. II 1, 1.

Nonnumquam autem talia disserens Hieronymus in summas adducitur angustias. Supra vidimus scriptori esse demonstrandum, quanti momenti sit res, sed quam non libri antea scripti sint idonei ad eam illustrandam. Hac re autem facile fit, ut videatur scribere ea de causa, ut libris illis obtrectet, quae certe causa scribendi minime laudanda est. Debet igitur cavere, ne cadat in hanc suspicionem. Quam ob rem pauca addit, quibus se quasi excusat, quod alia opera non re digna putat. — In prol. galeato, qui dicitur, legimus haec: „. . . . .obsecro te, lector, ne laborem meum reprehensionem aestimes antiquorum. In tabernaculum Dei offert unusquisque, quod potest eqs.“ et ostendit, quam non valeat suum donum. Similiter se habet res in praef. l. Psalm. (M. 28, 1126 A): „Nec hoc dico, quo praecessores meos mordeam, ... quorum translationem diligentissime emendatam olim meae linguae hominibus dederim.“[1]) Veram causam scribendi his locis silentio praeterit. Sed quae sequuntur, nihilominus spectant ad libros praecessorum illorum vituperandos. Apertius etiam hoc est in praef. l. Hiob (M. 28, 1082 A): „Audiant quapropter canes mei idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut ea, quae in illa aut obscura sunt aut omissa aut certe scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent.“ Ergo vera causa scribendi tamen est ea, quod translationem adhuc usitatam non re dignam putat. Item est in praef. l. Sal. (M. 28, 1244 A), in praef. in Pentat. (M. 28, 152 A), in l. Hebr. Quaest. in Gen. praef. (M. 23, 936 B sq.), ubi addit, cur Septuaginta Interpretes, quibus se invidere negat, verum illustrare non potuerint. Tandem affero Comm. Jon. prol. (M. 25, 1117 C): „Scio veteres ecclesiasticos . . . . super hoc libro multa dixisse et tantis quaestionibus non tam aperuisse quam obscurasse sententias . . . . Nec hoc dico, quo magnis ingeniis detraham et alios mea laude suggillem, sed quod commentatoris officium sit, ut, quae obscura sunt, breviter aperteque dilucidet eqs.“ Magna igitur illa ingenia huic officio non satisfecerunt. Ut autem hoc crimen leniat, adiungit se aliorum scriptorum operibus suo libro obtrectare nolle. Legem sequitur hac re rhetoricam, quam Quintilianus profert ita (IV 1, 8): „. . . . praecipua in hoc dicentis auctoritas, si omnis in subeundo negotio suspicio sordium aut odiorum aut ambitionis afuerit.“[2])

---

[1]) Etiam quod dicit se editionem praecessorum denuo edidisse, ut demonstret, quam non iis obtrectare velit, saepius invenitur. Exemplo sit praef. l. Paral. (M. 28, 1326 B): „Ceterum memini editionem Septuaginta Translatorum olim de Graeco emendatam tribuisse me nostris nec inimicum debere aestimari eorum, quos in conventu fratrum semper edissero.“

[2]) Ad omnia haec exempla conferre licet Ciceronis de orat. I 6, 23: „. . . . non quo illa contemnam, quae Graeci dicendi artifices et doctores reliquerunt eqs.“

III.
Quomodo inimicis respondeat in prooemio.

At non semper legem, quam proxime commemoravimus, severe atque diligenter observavit Hieronymus. Multa enim sunt prooemia, in quibus vehementissime maledicit inimicis. Quae ratio praefandi respondet naturae eius acerrimae. Quaecumque enim ei res placet vel displicet, non moderate atque rationis causis adductus iudicat, sed intemperanter ac solum animi sui motu impulsus. Modo summo amore incensus alicui rei favet, modo vehementissima ira inflammatus aliquid reicit.[1]) Hac re cum amicissimos nonnullos tum multos inimicissimos sibi parit. Atque hos in prooemiis omnium fere librorum maximo ardore flagrans impugnat. Ipse nonnumquam testatur talia in exordiis esse disserenda. In Comm. Mich. II initio legimus haec (M. 25, 1189 C): „Semper invidis respondemus, quia non cessat invidia et librorum nostrorum exordia aemulorum maledicta confutant.“ Et in l. Hebr. Quaest. in Gen. praef. (M. 23, 935 A): „Qui in principiis librorum debebam secuturi operis argumenta proponere, cogor prius respondere maledictis“ et relegat ad Terentii comoediarum prologos, quorum exemplum se sequi dicit.[2]) Simile est in praef. in l. Hiob (M. 28, 1079 A).

Quamquam per se tales res non alienae sunt a prooemio. Cum enim inimicis obtrectet, ipse suam auctoritatem auget. Qua de causa auct. ad Her. docet I 5, 8: „Ab adversariorum persona benivolentia captabitur, si eos in odium, in invidiam, in contemptionem adducemus.“ Quae lex certe dissentit cum altera illa, de qua diximus, ut caveat scriptor, ne videatur odio ad scribendum impulsus. Atque profecto magna prudentia utendum ei est, si vituperat adversarios, cum semper id debeat spectare, ut putetur vir bonus, nimia autem calumniandi acritas valde ei noceat.

Hae contentiones dissensionesque possunt proferri in varium modum. Atque primum quidem convenit cum proposito prooemiorum scriptorem loqui de aliorum de eadem re libris; quibus eam non satis illustrari demonstrat. Item non raro exponit Hieronymus, quid censeat de disputationibus, quae sunt de re haud aliena a sui libri argumento, atque saepissime vehementer eas vituperat (v. pg. 26). Neque vero satis habet sententiam solam aliorum scriptorum in discrimen vocare atque reicere, sed etiam reprehendit rationem, qua illi iudicaverunt vel scripserunt. Velut exponit nihil adversariis rectum videri, ita ut intellegi possit eos librum accusare cupiditate condemnandi incensos, non iustis causis commotos. Sic est in Vitae S. Hilar. prol. (M. 23, 29 B): „. . . . maledicorum voces contemnimus, qui olim detrahentes Paulo meo, nunc forte detrahent et Hilarioni, illum solitudinis calumniati, huic obicientes frequentiam. . . . . Fecerunt hoc et maiores eorum quondam

---

[1]) cf. Teuffel, Gesch. der röm. Lit. III[6] 1913 pg. 328; Norden, Ant. Kunstpr. pg. 650; Bardenhewer Gesch. d. altkirchl. Lit. IV, pg. 650.

[2]) cf. Terentii Andr. prol. 5—7.

Pharisaei, quibus nec Johannis eremus ac ieiunium nec Domini Salvatoris turbae, cibi potusque placuerunt.“ Ipsi adversarii non sunt idonei, qui libros conficiant, sed satis habent maledicere aliorum scriptorum operibus (Comm. Ezech. XIII; M. 25, 405 C): „Aemulorum maledicta praevenio, qui non, quid ipsi possint, sed quid ego non possim, considerant, et cum nostra diiudicent, sua iudicanda non praebent, numquam in agone pugnantes, sed de pugnantibus otioso, immo superbo animo iudicantes.“ Gravius vituperatur ratio maledicendi in Apologiae adv. Ruf. I (M. 23, 397 A): „Scribuntur contra me libri, ingeruntur omnibus audiendi; et tamen non eduntur, ut et simplicium corda percutiant et mihi facultatem pro me auferant respondendi. Novum malitiae genus accusare, quod prodi timeas, scribere, quod occultes. Si sunt vera, quae scribit, cur publicum timuit? si falsa, cur scripsit? eqs.“ Vel qua temeritate adversarii iudicent, reprehendit in Comm. epist. Tit. prol. (M. 26, 555). Demonstrat epistulam, de qua est quaestio, vere esse Pauli et criminatur eos adversarios, qui ad tantam impudentiam progressi sint, ut etiam Novi Testamenti magnas partes falso traditas censerent. Nam ex epistulis apostoli Pauli „quidquid contrarium suo dogmati viderant, eraserunt, nonnullas integras repudiandas crediderunt. . . . . Et siquidem redderent causas, cur eas apostoli non putarent, tentaremus aliquid respondere. . . . . Nunc vero cum haeretica auctoritate pronuntient et dicant: Illa epistula Pauli est, haec non est, eqs.“

Aliis in prooemiis Hieronymus vituperat rationem dicendi adversariorum, maxime in iis libris, qui toti spectant ad refellendam quandam eorum sententiam. Velut in l. adv. Iov. I (M. 23, 211 A sqq.): „Verum scriptorum tanta barbaries est, et tantis vitiis spurcissimus sermo confusus, ut, nec quid loquatur nec quibus argumentis velit probare, quod loquitur, potuerim intellegere. Totus enim tumet, totus iacet, attollit se per singula et quasi debilitatus coluber in ipso conatu frangitur. . . . . Sic involvit omnia et quibusdam inextricabilibus nodis universa perturbat. . . . . Nam divinandum est.“ Et ut exemplum praebeatur, „cuiusmodi eloquentiae sit et quibus verborum floribus ornatus incedat“, locum quendam ex illius libris ad verbum affert et pergit: „Rogo, quae sunt haec portenta verborum, quod descriptionis dedecus. . . . . Totum incipit, totum pendet ex altero; nescias, quid cui cohaereat; sermo omni materiae convenit, quia nulli convenit.“ Simillimum est huic prooemio l. contra Joh. Hieros. praef. (M. 23, 356 B—357 A). Conferri licet etiam Interpr. l. Did. de Spir. sancto praef. (M. 23, 104 A).

Vel imperitum et scientia non imbutum vocat adversarium, ut in Comm. Jes. XII (M. 24, 409 D): „Nullus tam imperitus scriptor est, qui lectorem non inveniat similem sui, ... Igitur et noster Luscius Lanuvinus[1]) fruatur testibus, immo fautoribus suis.“ Qua de causa indignus paene est, cui respondeatur. In l. de perp. virg. B. Mariae adv. Hebr. prol. (M. 23, 183 A) dicit se hanc

[1]) Ad notum illum Terentii adversarium alludit.

dissertationem conscribendam paulo distulisse, „non quod difficile fuerit hominem rusticanum et vix primis quoque imbutum litteris super veri assertione convincere, sed ne respondendo dignus fieret, qui vinceretur.“ Simile est in l. contra Vigil. prol. (M. 23, 342 A). Si quid ei ipsi adversarii opprobrio dederunt, vituperat eos, quod prorsus nesciant, quid obiciant libro, velut in Comm. Jes. IX (M. 24, 313 D): „. . . . transimus ad nonum (scil. librum) non absque morsu et obtrectationibus invidorum, qui ignorantes, quid audiant, quid loquantur, de eo audent iudicare, quod nesciunt, et ante despiciunt, quam probent, eruditosque se aestimant et disertos, si de cunctis scriptoribus detrahant.“ Similia frequentat in prooemiis Hieronymus. „Amicos“, quos per illusionem dicit (Comm. Osee prol., M. 25, 820 A; in Ezech., M. 28, 939 A; in l. Jos., M. 28, 463 A; saepius), nihil aliud spectare, nisi ut operibus suis obtrectent; cf. Chron. praef. (ed. Helm, pg. 5 B, 15 sqq.), prol. galeatum (M. 28, 558 A), praef. in Jerem. (M. 28, 848 C—849 A), Comm. Zach. III (M. 25, 1497 D—98 C). — Quamquam si iuste censerent, probare debebant librum Hieronymi: „Accedunt ad hoc invidorum studia, qui omne, quod scribimus, reprehendendum putant et interdum contra se conscientia repugnante publice lacerant, quae occulte legunt.“ (Praef. in Ezram, M. 28, 1402 D). Adversarii malunt legere veteres libros errorum plenos, quam novos emendatos; praeferunt rebus bonis malas. Cf. praef. l. Psalm. (M. 28, 1125 A): „. . . . liquido pervidebis me ab aemulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri praeclara quam discere.“ Praef. l. Hiob alt. vers. (M. 29, 61 B): „Tanta est enim vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant, dum magis pulchros habere malunt codices quam emendatos.“ Item praef. l. Psalm. j. LXX Interpr. (M. 29, 120 A), praef. l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 403 A), saepius. „Minoris (autem) peccati est sequi malum, quod bonum putaveris, quam non audere defendere, quod bonum pro certo noveris.“ (Dial. adv. Pelag. prol. 2; M. 23, 498 B); cf. Cic. de inv. II 3, 9. — Sed si ita res se habet, quid est omnino, cur legant adversarii librum? Praef. in l. Jos. (M. 28, 464 A): „Quod si vetus tantum interpretatio placet, ... et nihil extra recipiendum putant, cur . . . . (novam Hieronymi editionem) . . . legunt et neglegunt?“ Item est in praef. l. Ezech. (M. 28, 939 A). Vel si putant sibi esse iudicandum de hac Hieronymi editione, debent prius omnia accurate inspicere atque explorare, quam condemnent librum. Praef. in l. Jes. (M. 28, 772 B): „Nec ignoro . . . . nos quoque patere morsibus plurimorum, qui stimulante invidia, quod consequi non valent, despiciunt. . . . . (col. 773 A). Legant prius et postea despiciant, ne videantur non ex iudicio, sed ex odii praesumptione ignorata damnare.“ Aequum est in praef. l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 404 A) et alibi.

Etiam longius procedit in acerbitate accusandi et maledicendi. Neque enim veretur ostendere, quomodo adversarii vivant, quid agant, quid petant, atque in omnibus rebus turpissima quaeque de iis profert. Maxime in iis libris, quibus sententiam cuiusdam refutat, gravissime invehitur in eius personam.

„Epicurum Christianorum" eum appellat et „voluptuosissimum concionatorem" (l. adv. Iov. I; M. 23, 211 A, 215 B). Copiosissime inimici vitae turpitudinem detegit in l. contra Vigil. (M. 23, 339 A): „Multa in orbe monstra generata sunt. . . . . (Complura exempla proferuntur) . . . Sola Gallia monstra non habuit. . . . . Exortus est subito Vigilantius seu verius Dormitantius"[1]) . . . . Sententias eius perversissimas exponit, quippe qui contendat continentiam esse haeresim et pudicitiam libidinis seminarium. „Et quomodo Euphorbus in Pythagora pernatus esse perhibetur, sic in isto Ioviniani mens prava surrexit." Illum ab auctoritate Ecclesiae esse damnatum docet. Etiam longius versatur in explananda atque vituperanda Vigilantii doctrina et pergit cap. 2: „Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes; si tamen episcopi nominandi sunt, qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint eqs."; multa profert de eorum vita incesta. Denique in praef. l. Psalm. (M. 28, 1126 A) sunt haec: „Nam cum semper novas expetant voluptates (scil. adversarii) et gulae eorum vicina maria non sufficiant, cur in solo studio Scripturarum vetere sapore contenti sunt?" Conferre licet auct. ad Her. I 5, 8: „In contemptionem adducemus (scil. adversarios), si inertiam, ignaviam, desidiam, luxuriam adversariorum proferemus." Huic legi maxime paruerunt cum alii tum saepissime Cicero in iudicialibus orationibus, qui adversario turpes vivendi mores opprobrio solet dare.

In plerisque prooemiis Hieronymus maledicit adversariis, cum nomina infamia iis tribuit. Atque in hac re nullos respicit fines pudoris. Non dubitat vehementer contumeliosissima iis obicere. Velut in Comm. Ezech. VI (M. 25, 165 sqq.) initio imaginem adhibet hydrae, qua saepe utitur, ut obtrectet inimicis (l. adv. Iov. I, M. 23, 214 B; Comm. Jerem. III 1, 1; C S E L 59, pg. 150; Abac. II; M. 25, 1307 A). Deinde eos nominat „Scyllaeos canes, qui latrare non cessant" (cf. Comm. Jerem. III; Vita S. Hilar.; M. 23, 29 C). Quod in sequentibus verbis contendit de adversariis: „labiaque tantum melle circumlinunt", proverbium significat, id quod docuit Otto: Sprichwörter und sprichwörtliche Redensarten der Römer, pg. 218, 4. Similiter nonnumquam inimicorum libros comparat cum cantibus Sirenarum, sicut in l. adv. Iov. I (M. 23, 215 C); cf. Homeri Od. μ 39. Aut in Comm. Mich. II (M. 25, 1189 C) legimus haec: „Moneo autem tauros pingues, qui circumdederunt me, ut quiescant et desinant maledicere, malefacta ne noscant sua, quae proferentur post, si pergent laedere."[2]) Similiter in transl. Hom. XXXIX Orig. Luc. prol. (M. 26, 220 A): „. . . praesertim cum a sinistro oscinem corvum audiam crocitantem et mirum in modum de cunctarum avium ridere coloribus, cum totus ipse tenebrosus sit." Non minus acriter increpat inimicos in l. Hebr.

[1]) Similis nominis depravatio, qua adversario vehementissime maledicitur, etiam alio loco invenitur apud Hieronymum. Nam in Comm. Jerem. I et IV Rufinum nominat Grunnium (de hac re vide, quid annotaverit Martianaeus in M. 24, 681 B sub signo „a"). Non aliter Ciceronem ludere in nomine Verris notum est.

[2]) cf. Terentii Andr. prol. 23 et Eun. prol. 16—19.

Quaest. in Gen. praef. (M. 23, 935 A): ,,. . . . contra me . . . . immundae sues grunniant et pedibus margaritas conculcent eqs.“ (cf. Ev. Matth. 7, 6). Imago saepissime apud Hieronymum usitata occurrit in praef. l. Jos. (M. 28, 463 A): ,,Unde cesset arcuato vulnere contra nos insurgere scorpius et sanctum opus venenato carpere lingua desistat eqs.“ Eodem verbo utitur, ut adversario maledicat, cum alibi tum in Comm. Jes. X (M. 24, 350 D), et Ezech. I (M. 25, 16 A), ubi paulo post etiam hydram fingit inimicum.

Unum autem est, quod animadvertas in hac ratione. Pleraque enim convicia intenduntur ad certos quosdam homines, quibus Hieronymus est inimicissimus. Apparet id ex verbis, quibus utitur in maledicendo, cum semper fere loquatur de scorpio, de hydra etc., adhibeat ergo formam singularem. Etiam ex nonnullis locis plane intellegitur unum hominem hoc convicio significari, velut ubi dicit scorpium vel simile monstrum denuo librum contra se ,,evomuisse“ et nova protulisse probra (Comm. Jes. X, M. 24, 350 D; Jerem. prol. 3; C S E L 59, pg. 4; l. adv. Vigil. 3, M. 23, 341 C) vel prospere sibi accidere, quod adversario illo mortuo Scripturae sanctae explicandae operam dare possit (Comm. Ezech. I, M. 25, 16—17 A). Eo magis est admirandum, quod exceptis iis libris, qui toti pertinent ad refellendam quandam sententiam adversarii, nomen eius, cui maledicitur, solet omitti. Quod quin certo consilio factum sit, dubium non est. Si scriptor nomen adversarii silentio praeterit, contentio videtur minus acris atque incertior. Cicero in Acad. II § 5, postquam Lucullum laudavit cum aliis de causis, tum quod philosophiae se dedit, pergit: ,,At vereor interdum, ne talium personarum cum amplificare velim, minuam etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino Graecas non ament litteras, plures, qui philosophiam, reliqui, etiamsi haec non improbent, tamen earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putent.“ Quamquam in his verbis inest opprobrium quoddam, tamen deest omnis acerbitas, omnis vehementia. Ad id autem multum valet, quod nomina eorum omittuntur, qui aliter censent. Atqui lex est rhetorica: ,,Vitandum etiam, ne contumeliosi, maligni, superbi, maledici in quemquam hominem ordinemve videamur“ (Quint. IV 1, 10.). Qua ex lege facile fieri potuit, ut usus oreretur omittendi nomen adversarii; quem usum, cum reliqua illius egis praecepta in prooemiis prorsus fere neglexerit, Hieronymus saepe imitatus est.[1])

Accedit alia causa. Si nomen adversarii ponitur, non minus quam liber ipse pervulgatur. Honore igitur quodam afficitur, cum nomen eius nobile fiat toto orbe terrarum. Quo honore ne dignus ille videatur, scriptor nomen omittit. Neque enim habet, cur multum respiciat calumnias, cum maxime

---

[1]) cf. Ulpian. ad Dem. de fals. leg. p. 203: *φυλακτέον δὲ ἐν προοιμίοις ἐπ᾽ αὐτῶν τῶν ὀνομάτων ποιεῖσθαι τὰς διαβολάς. Οὐ γὰρ ῥητορικὸν ἀρχόμενον πολλοῖς προσκρούειν.* — Volkmann, Rhet. d. Gr. u. R.[2] pg. 130. — Ne Terentius quidem in prologis nomen profert Luscii Lanuvini, cui maledicit.

eum deceat prorsus contemptis maledictis libro scribendo operam dare. In Comm. Jerem. II 1, 1 (C S E L 59, pg. 74) legimus haec: „Secundum .... in Jeremiam librum .... dictamus avertentes parumper aures, ne audiamus iudicium sanguinis eqs." Perversam adversariorum sententiam planius exponit et pergit: „Quorum furori respondimus, ut potuimus, et .... plenius responsuri sumus. Nunc coepta carpenda est via et dictandi commentarioli."[1]) Vel in Comm. Abac. II (M. 25, 1307 A): „Sibilet igitur excetra et Sardanapalus insultet, turpior vitiis quam nomine, nos coeptum carpamus iter et .... manifestissimam de Christo prophetiam in octavo propheta ... disseramus."

Raro autem Hieronymus eo procedit, ut plane adversariorum crimina silentio praetereat. Qua re autem commovetur, ut tantopere iis respondeat? Non dubium est, quin inimicorum opprobriis libro obtrectetur. Qua de causa, ne ab hominibus minoris aestimetur neve minus studiose legatur, refellenda illa sunt scriptori. Cum igitur demonstret, quam iniustae sint adversariorum reprehensiones, commendat suum librum. Est igitur etiam haec invectio aliorum commendatio sui.

Nonnumquam satis habet enumerare, quae inimici operi vitio vertant neque ad omnia respondet, quasi tam absurdae sint res obiectae, ut non dignae sint, quae omnino respiciantur. Sicut in Comm. Mich. II (M. 25, 1189 C): „... vulgo iactant me sterilis ieiunique sermonis quasdam ineptias scribere, et cum loqui nesciam, tacere non posse."[2]) Admonet eos, ut ipsi sileant: „Nam quod dicunt Origenis me volumina compilare ...., quod illi maledictum vehemens esse existimant, eandem laudem ego maximam duco, cum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus et vobis placere non dubito"[3]); et relegat ad scriptores praeclaros Latinos, qui saepe suorum librorum materiam hauserunt ex compluribus operibus Graecis. In transl. Hom. XXXIX Orig. Luc. praef. (M. 26, 220 A) praevenit calumnias adversarii, cum exiguitatem voluminis Origeni tribuendam statuat: „Fateor itaque, antequam ille (scil. adversarius) obiciat, in his Origenem tractatibus quasi puerum talis ludere eqs." Vel in Comm. Soph. prol. (M. 25, 1337 B) se defendit, quod feminis libros suos mittit: „Antequam Sophoniam aggrediar, ... respondendum videtur his, qui me irridendum aestimant, quod omissis viris ad vos scribam potissimum, o Paula et Eustochium"; et summis laudibus effert sexum muliebrem. Multa exempla adhibet praeclararum feminarum ex Scriptura sancta et ex rerum Graecorum et Romanorum memoria. Similia, sed multo brevius profert in Comm. Jes. XII (M. 24, 410 D)[4].)

---

[1]) cf. Terentii Haut. prol. 33 sqq., Eun. 17/18.

[2]) Saepius enumerantur omnia, quae libro crimini tribuuntur, sicut in Terentii Eun. prol. 23 sqq., Ciceronis de fin. I 1, 1—2, 6; Acad. II 2, 5.

[3]) cf. Terentii Ad. prol. 17 sqq.

[4]) Vide, quid doceat Cicero de inv. I 16, 22: „Benivolentia ... comparatur ... ab nostra persona, ... si crimina illata et aliquas minus honestas suspiciones iniectas diluemus."

Cum hoc modo crimina adversariorum repellit, facile fieri potest, ut paulo longius digrediatur atque in ipsos adversarios acerrime invehatur, id quod supra vidimus. Quin etiam cum se defendit, interdum ad tantam procedit vehementiam, ut alloquatur ipsum inimicum. Utitur ergo figura ἀποστροφῆς. Quae per se dedicationi contraria est, cum scriptor ab altera persona, quam allocutus est, aberret ad alteram. Nihilominus hic usus in compluribus prooemiis occurrit. Velut in Comm. epist. Eph. prol. initio prolata est dedicatio, deinde dicit de inimicorum obtrectationibus. Quorum vita plane ei displicet. Et pergit (M. 26, 439 B): ,,. . . illud dicam, ... quomodo ego non reprehendo, non damno, quod faciunt, ita illos ineptias meas mihi debere concedere. Parum eloquens sum: quid ad te? disertiorem lege. Non digne Graeca in Latinum transfero: aut Graecos lege, aut si tantum Latinus es, noli de gratuito munere iudicare. . . . . Numquid te manu conserta in ius traho, quia nostra non scribas? Me imperitior quisque lecturus est, tua forsitan dicta si scripseris, Tullius admirabitur.“ Paulo post autem redit ad dedicationem: ,,Quam ob rem obsecro . . . . vos . . . ., ne facile maledicis et invidis opuscula mea tradatis eqs.“ Similis est praef. in Pentat. (M. 28, 151 B—152 B): ,,Audi igitur, aemule, obtrectator, ausculta: non damno, non reprehendo Septuaginta eqs.“ Hic usus praeclarissime adhibetur in orationibus iudicialibus atque commendatur ab artis rhetoricae magistris, sicut a Quintiliano IX 2, 38: ,,Aversus quoque a iudice sermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire movet, sive adversarios invadimus: ,quid enim tuus ille Tubero, in acie Pharsalica?' (= Cic. pro Lig. 3, 9) eqs.“ —

IV.

Quomodo scriptor se suumque librum commendet.

Cum hoc modo repellat adversariorum crimina, simul laudat se ipse sumque librum. Suam virtutem consiliumque bonum adversariorum ineptiis atque cupidini maledicendi opponit. Licet meminisse hoc loco illud Apsinis, quod initio protulimus: . . . *λαμβάνεται προοίμιον ἐκ προσώπου ἢ ἐκ πράγματος ἢ ἐξ ἀμφοῖν*. Quod igitur restat, ut investigemus ea, quae sumuntur *ἐκ προσώπου*, haud alienum est quaerere, quaenam sit persona, de qua agatur in prooemio. Aut ea, quam scriptor alloquitur cuique librum mittit, habemus igitur locum dedicationis, aut alia quaedam, cuius utitur scriptor familiaritate vel inimicitiis. Si amicitia cum ea est coniunctus, velut in epistula simpliciter de ea loquitur cum eo, ad quem scribit; quod idem spectat ad dedicationis usum. Sin autem homini cui quadam de causa est inimicus, vehementer eum invadit. Denique persona est ipsius scriptoris, de quo prooemium sumitur. Summa autem lex, quam semper sequitur, cum de se ipso verba facit, est,

ut se commendet, quo maiore studio liber legatur. Qua de causa etiam inimicos quam vehementissime vituperat, quo praeclarior ipse videatur. Obicit iis sententiam perversam, rationem scribendi ineptam, mores vivendi turpes. Omnibus autem rebus quanto ipse iis sit praestantior, demonstrat. Simul cum fingit se respondentem adversariorum opprobriis, cavet, ne videatur nimis arrogans, cum ipse laudet suum librum suamque personam.

Praecipue de ratione scribendi saepissime dicit Hieronymus in prooemiis, id quod ipse testatur in epist. 112, 20 (C S E L 55, pg. 390/91): ,,Quod autem genus interpretationis in Scripturis sanctis sequendum sit, ... omnes praefatiunculae divinorum voluminum, quas editioni nostrae praeposuimus, explicant.“ — Priusquam autem doceat, quomodo librum instituere velit, exponere debet non solum, quid tractare in animo habeat, sed etiam, quomodo interpretetur libri propositum quidque ostendere studeat. Hac re lectorum animi ad unum eum locum, quem illustrare scriptoris maxime interest, vertuntur. Cohaeret igitur hic usus cum argumenti indicatione. Aristoteles dicit in Art. rhet. III 14, 1415 a 22: *τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου καὶ ἴδιον τοῦτο δηλῶσαι, τί ἐστιν τὸ τέλος, οὗ ἕνεκα ὁ λόγος.* Hanc legem rhetoricam Hieronymus sequitur in Comm. Jes. prol. (M. 24, 18): ,,Sicque exponam Jesaiam, ut illum non solum prophetam, sed evangelistam et apostolum doceam.“ Vel in Comm. Jes. VIII (M. 24, 281 C): ,,Nobis propositum est Jesaiam per nos intellegi et nequaquam sub Jesaiae occasione nostra verba laudari.“ Similes loci saepius occurrunt. Sicut in Comm. epist. Gal. III (M. 26, 400 C): ,,Quorsum ista? videlicet, ut et vobis et ceteris . . . . sit responsum, me non panegyricum aut controversiam scribere, sed commentarium, id est hoc habere propositum, non ut mea verba laudentur, sed ut, quae ab alio bene dicta sunt, ita intellegantur, ut dicta sunt. Officii mei est, obscura disserere, manifesta perstringere, in dubiis immorari.“ Item est in Comm. Ezech. V (M. 25, 141 A) sub finem et in Comm. Dan. prol. (M. 25, 491 B).

Ex his, quae profert scriptor de fine disputationis, plane apparet, quam rationem scribendi debeat adhibere. Neque vero tam certa quaedam ratio inde colligitur, quam qua via non sit progrediendum. Nisi enim eius interest orationem suam laudari, sed tantum Scripturae sanctae verba explanari, neglegit omnia artis rhetoricae ornamenta. Saepissime ipse hoc confirmat atque praecipue in iis prooemiis, in quibus docet, quid suum putet in scribendis libris. Velut in Comm. Ezech. V (M. 25, 141 A): ,,In quo (scil. volumine, quod iam sequitur) nihil ex arte rhetorica, nihil ex compositione reperies et venustate verborum, sed curam simplicis et sollertis diligentiae eqs.“ Similia, sed multo copiosius, exponit in Comm. epist. Gal. III (M. 26, 400 sq.): ecclesiam Christi positam esse non in scientia doctorum virorum, sed in vulgo; qua de causa libros sanctos non egere ea oratione, qua illi delectentur, sed quam facile intellegant homines, qui litteris non imbuti sint, et quanto plus valeant haec opera quam praeclarorum philosophorum, qui fuerint antiquis temporibus, ostendit: ,,Quotusquisque nunc Aristotelem legit? quanti Pla-

tonis vel libros novere vel nomen? Vix in angulis otiosi eos senes recolunt; rusticanos vero et piscatores nostros totus orbis loquitur, universus mundus sonat. Itaque sermone simplici simplicia eorum verba pandenda sunt.“ Deinde postquam horum librorum subtilitatem atque sententias reconditas laudavit, finem facit hoc modo: „Breviter vobis meae mentis fateor arcanum: Qui per me intellecturus est apostolum, nolo, ut mea scripta difficulter intellegat et ad interpretem cognoscendum alium quaerat interpretem.“ In l. denique de perp. virg. Ben. Mariae adv. Helv. eodem modo ad refellendam adversarii sententiam se ornamentis orationis indigere negat (M. 23, 185 A): „Non campum rhetorici desideramus eloquii, non dialecticorum tendiculas nec Aristotelis spineta conquirimus; ipsa Scripturarum verba ponenda sunt, ipsis, quibus adversum nos usus est, testimoniis revincatur (scil. Helvidius).“ Aeque omnem eloquentiam refutat in l. Hebr. Quaest. Gen. (M. 23, 936 A) et initio prooemii Comm. Ezech. VIII (M. 25, 231 B). — In translationibus laudi est scriptori sermonem exemplorum diligenter conservare. Quod saepius Hieronymus profitetur, cum arte rhetorica illorum simplicitatem atque maiestatem corrumpere nolit. In Transl. Hom. Orig. in Jerem. et Ezech. prol. (M. 25, 585 A) est: „. . . . id magnopere curans, ut idioma supradicti viri (Origenis) a simplicitate sermonis, quae sola ecclesiis prodest, etiam translatio conservaret, omni rhetoricae artis splendore contempto; res quippe volumus, non verba laudare.“ Haud aliter est in Transl. Reg. S. Pach. praef. (M. 23, 65—66 A).

Neque vero Hieronymo credendum est, si talia profert. Nomine enim reficit artem rhetoricam, re maxime ei studet, id quod ex omnibus eius libris apertissime elucet.[1]) Cur igitur negat se leges rhetoricas esse secuturum? Scilicet ut abdat suam artem, ut simulet se quasi sua sponte talia scripsisse. Quae si nihilominus consentiunt cum praeceptis artis rhetoricae, eo pluris scriptor debet aestimari, quod suo ingenio haec invenit, quae alii summa cum industria petiverunt. Callida igitur atque subtiliter excogitata est ratio commendandi suum librum; quae tamen non singularis est apud Hieronymum, sed postulatur a rhetoribus; sicut Quintilianus commemorat „illam veterum circa occultandam eloquentiam simulationem, multum ab hac nostrorum temporum iactatione diversam“ (IV 1, 9).

Non minus ad commendandum librum spectat aliud, quod profert Hieronymus de ratione sua dicendi. Exponit enim, usque ad quam amplitudinem velit extendere librum. Atque promittit sese esse nisurum, ut breviter gravissimas res complectatur, ne animos lectorum longitudine libri fatiget.[2]) At contra sibi esse cavendum, ne paucitate verborum sensus obscuretur. Velut in Comm. Jerem. II 1, 2 (C S E L 59, pg. 74, 13 sqq.): „. . . . nec nimia longitudine extendentes opus, nec immoderata brevitate auferentes intellegentiam,

[1]) Grützmacher, Hieronymus I, 121.

[2]) cf. Cic. de inv. I 16, 23: „Attentos autem faciemus (scil. auditores) . . . si pollicebimur nos brevi nostram causam demonstraturos.“ Item Quint. IV 1, 34.

quorum alterum onerat sensus legentium, alterum praecidit studiosorum desiderium.“ Similia leguntur in totius operis prol. 1 (C S E L 59, pg. 3, 8 sqq.): „. . . . illud prudentiam tuam ammoneo, ne quaeras in hoc latam explanationem . . . . Sicque conabor notariorum manu scribere, ut nihil desit in sensibus, cum multum desit in verbis.“ Conferre licet Comm. Jes. XI (M. 24, 378 B) et XVIII (M. 24, 629 A) et Comm. Matth. prol. (M. 26, 20 A).

Brevitate autem orationis fit, ut non omnia disseri possint, cum scriptor valde vereatur, ne nimis amplificet opus. Quod si de re ita agit, ut nonnulla explicet, alia omittat, hoc debet in prooemio commemorare. Velut si in commentariis multas res praeterit, ut de iis solis loquatur, quae indigent interpretatione, huius rei mentio fit in exordio. In Comm. Dan. prol. legimus (M. 25, 494 A): „. . . . non iuxta consuetudinem nostram proponentes omnia et omnia disserentes, ... sed breviter et per intervalla ea tantum, quae obscura sunt, explanantes, ne librorum innumerabilium magnitudo lectori fastidium faciat.“ Similiter legimus in Comm. Jes. VI (M. 24, 205 D): „. . . . non omnia disserentes, ne multa fiant volumina, sed quid ecclesiastici viri ante nos senserint, breviter indicantes.“ — Saepe Hieronymus in commentariis satis habet historicam praebere explicationem atque confirmat hoc compluribus locis. Haec sunt in Comm. Jes. V (M. 24, 153 C): „. . . . pro angustia illius temporis, quid mihi videretur in singulis, brevi sermone perstrinxi historiam tantum, quod petebat, edisserens“ et paulo post in proprio prooemio: „. . . . per litteras flagitabas, ut tibi . . . historica expositione dissererem.“ Idem inest in Comm. Matth. prol. (M. 26, 20 C): „Igitur . . . . historicam interpretationem, quam praecipue postulasti, digessi breviter, et interdum spiritualis intellegentiae flores miscui eqs.“[1]) Unum autem animadvertas: si ab una tantum parte rem tractat, id fieri semper docet auctore eo, ad quem liber mittitur. Si quid igitur in hac re inest vitiosum, non scriptori, sed ipsi illi, qui librum ab eo petivit, crimini dandum est. — Utramque explanandi rationem sese coniunxisse exponit in Comm. Jes. VIII (M. 24, 281 B): „Praesens opus, id est octavus liber, ad coeptam interpretationem revertitur, ut et historiam et tropologiam iuxta utramque editionem pariter disserat.“ Item est in Comm. Zach. I (M. 25, 1418 A—B): „Historiae Hebraeorum tropologiam nostrorum miscui, ut aedificarem super petram et non super arenam ac stabile iacerem fundamentum.“

Porro docere potest scriptor in prooemio, quam viam ac rationem in tractanda re secuturus sit. Spectat hic usus ad partitionem; neque vero indicatur argumentum libri. Saepe in commentariis demonstrat sese verba prophetae esse prolaturum et additurum, quid de iis censeat, ut in Comm. Malach. prol. (M. 25, 1543 A): „. . . . ut proponens verba Malachi, primum iuxta Hebraicam veritatem, deinde iuxta Septuaginta Interpretes . . . . edisseram,

---

[1]) Exempla huius explanationum generis habet Didymum et Asconium Pedianum, qui similiter Demosthenis aut Ciceronis libros interpretati sunt.

quae sequuntur." Item est in Comm. Zach. I (M. 25, 1418 B) sub finem, Dan. (M. 25, 494 A), Jes. IX (M. 24, 314 D), in epist. XXI, quae est de parabola filii prodigi, § 3, 3 sub finem (C S E L 54, pg. 116, 21), saepius. Etiam in aliis libris hunc usum adhibet, velut legimus in l. Hebr. Quaest. Gen. (M. 23, 936 B): „Et quo facilius emendatio cognoscatur, ipsa primum, ut apud nos sunt, testimonia proponemus, et ex collatione eorum, quae sequuntur, quod in illis aut minus aut plus aut aliter sit, indicabimus." Eadem ratione utitur in libellis, qui repugnant adversarii cuiusdam sententiae, ut in l. contra Vigil. § 3 initio (M. 23, 341 B): „Sed iam tempus est, ut ipsius verba ponentes, ad singula respondere nitamur eqs."[1])

Similiter, quomodo librum instituerit, ostendit in dial. adv. Pelag. prol. (M. 23, 496 A): „. . . hic liber . . . . Socraticorum consuetudinem servabit, ut ex utraque parte quid dici possit, exponat et magis perspicua veritas fiat, cum posuerit unusquisque, quod senserit." Paulo post docet ab inimicis sibi acerrime obtrectari, qui se reprehendant, quod invidia tantum commotus libros scribat. Quos refellere studet ita: „Unde ut omnibus probarem me non odisse homines, sed errores, nec aliquorum infamiam quaerere, magisque dolere vicem eorum, qui falsi nominis scientia supplantantur, Attici et Critobuli nomina posui, per quos et nostra pars et adversariorum quid sentiret, expromerem."[2])

Item loquitur de ratione singula pronuntiata inter se distinguendi. In difficilibus enim libris sic ea interpungit, ut versibus paene similis sit oratio, quo artius coniungat, quae inter se cohaerent, cetera autem clare secernat, ut minuat laborem libri intellegendi. Sic est in praef. Jes. (M. 28, 771 B): „Nemo, cum prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos aestimet apud Hebraeos ligari . . . ., sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata, qui utique prosa et non versibus conscripserunt, nos quoque utilitati legentium providentes interpretationem novam novo scribendi genere distinximus.[3]) Idem praemittit in praef. Ezech. (M. 28, 939 A): „Qui (scil. propheta) per cola scriptus et commata manifestiorem legentibus sensum tribuit"; item in praef. l. Paral. (M. 28, 1326 B) sub finem et in praef. Jerem. (M. 28, 848 C).

Quod hic exponit de singulis pronuntiatis seiungendis, aliis locis dicit de totius operis contextu. In magnorum enim prophetarum commentariis, qui in complures libros dividuntur, quaerit, quid cuique libro distribuat. Atque par est ea, quae inter se cohaerent, uno libro contineri. Quare docet in Comm. Jes. X (M. 24, 349 D): „Decimus liber . . . . minor erit numero versuum . . . Sequitur enim eum . . . historia, quae nec iungi cum praecedentibus poterit

---

[1]) cf. Cic. part. orat. 1, 2.

[2]) cf. Cic. Tusc. disp. I 4, 8.

[3]) Similiter, quod ab usitata ratione in prologo dicendi discessit, Terentius se excusat in Heaut. tim. prol. 1—3.

propter enormem voluminis magnitudinem nec dividi propter gestorum continentiam. Itaque ut voluisti, ... dictabo libros: ut prophetias sibi copulem nec eas inter se lacerem atque discerpam in alterius finem et alterius principium." Aut in Comm. Ezech. VII (M. 25, 199 C): „Unde obsecro te, filia Eustochium, ut . . . si librorum brevitas vel longitudo inter se fuerint inaequales, visionum, immo ὑποθέσεων brevitati imputes ac longitudini, dum et iuncta nolumus separare et dissonantia in unum coarctare congeriem." Sed ne hanc rationem dividendi libros omnibus locis sequatur, impeditur alia re. Spectat enim nihilominus, ut libri singuli non multum inter se differant longitudine, id quod rei tractandae saepe non convenit. Nam imparia sunt inter se singula capita et gravitate et difficultate et longitudine. In Comm. Ezech. IV (M. 25, 107 C) legimus: „Vellem, si fieri posset, Eustochium, explanationes in Ezechielem per singulos libros propriis texere prophetiis et, quod vaticinatione coniunctum est, nequaquam expositione dividere, ut facilior esset cursus dictantis pariter et legentis. . . . Sed quid faciam, cum aliae prophetiae breves sint, aliae longae, ut saepe necessitate cogamur et plures in unum librum coarctare et unam in multos dividere ?" Vel similiter in eiusdem operis l. X (M. 25, 295 D): „Vellem, ut ante iam dixi, prophetias contra unam provinciam aut unum regem iisdem explanare libris et nequaquam sensum lectoris dividere. Sed quid faciam longitudini, quae nisi dividatur in partes, modum voluminis egreditur; et infinita congeries tam dictanti quam legenti molesta est." Conferre licet prol. l. IX (M. 25, 265 A). De amplitudine librorum loquitur etiam in Comm. Jes. III (M. 24, 91 A), IV (M. 24, 127 D sqq.), XVIII sub finem (M. 24, 629 B).[1])

Haec omnia, quae scriptor profert de ratione, qua opus conscripsit, certe spectant ad commendandum librum. Nam quin semper aptissima via progressus sit, dubium non esse vult[2]), quoniam, si id iam in prooemio discimus, maiore cum diligentia versamur in libro legendo. Pertinent igitur ad lectorem faciendum docilem atque attentum similiter atque partitio, de qua supra diximus.

Non minus laudatur liber ea re, quod scriptor exponit, quo quasi in fundamento disputationem exstruxerit. Saepe enim in explicandis Scripturae sanctae libris difficillimae quaestiones debent explorari. Variis autem virorum doctorum de re tractanda sententiis hominum animi valde perturbantur. Qua de causa, ut investigetur, quae recta sit interpretatio, necesse est confugere ad ipsos Scripturae sanctae locos, e quibus solis verum potest intellegi. Talia demonstrat in epist. XX, qua agit de Hebraica voce, quae est Osanna, cap. 2 § 1 (C S E L 54, pg. 104, 14): „Restat ergo, ut omissis opinionum ri-

---

[1]) Item auctor ad Herennium in l. I fine disserit de voluminis magnitudine.

[2]) Breviter laudo hoc loco Diod. Sic. l. XVI prooemium. Saepissime Cicero, quomodo philosophiae quaestiones dialogica explanatione illustraverit, exponit in prooemiis ut de fin. II 1, 1—3, Tusc. disp. II 3, 9.

vulis ad ipsum fontem, unde ab Evangelistis sumptum est, recurramus.[1]) .... (pg. 105, 5.) Nunc ex Hebraeis codicibus veritas exprimenda est.“ Et profert omnes locos Scripturae sanctae, quibus vox illa occurrit. Maxime interest ad commendandas Scripturae sanctae explanationes vel translationes eas condi in optima memoria codicum. Itaque dicit in Comm. Eccles. praef. (M. 23, 1011—12 A): „... hoc breviter admonens, quod nullius auctoritatem secutus sum, sed de Hebraeo transferens magis me Septuaginta Interpretum consuetudini coaptavi, in his dumtaxat, quae non multum ab Hebraicis discrepabant.“ Vel in praef. l. Hiob (M. 28, 1080 A sq.): „Haec autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso Hebraico Arabicoque sermone et interdum Syro nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit.“

Item saepe homines quosdam egregios laudat, quos secutus sit auctores sententiae suae. Dixerit fortasse quis hac re scriptorem libro suo potius obtrectare quam prodesse. Nonne enim multo praeclarius ei est suo ingenio nullo antecedente verum repperisse, nonne novitate sententiae multo magis alliciuntur homines? Sed multis in operibus tanta est difficultas rei, ut prorsus temeriter videretur iudicare, si suum solum sequeretur arbitrium neglectis aliorum virorum praestantium de eadem re libris. Quorum auctoritate si utitur, prudenter putatur censere atque multo magis fides ei habetur. Quamquam novitatis incitamento homines non provocantur ad librum legendum; restat sola novae illustrationis voluptas.

Praecipue in iis libris, quibus adversario cuidam maledicit, affert testes suos, ne videatur omnes contumelias, quas profert, ipse finxisse, sicut in l. contra Vigil. cap. 3 (M. 23, 341 B—C): „Auctores sunt huius dictatiunculae meae sancti presbyteri Riparius et Desiderius, qui paroecias suas vicinia istius scribunt esse maculatas, miseruntque libros per fratrem Sisinnium, quos inter crapulam stertens evomuit, et asserunt repertos esse nonnullos, qui faventes vitiis suis illius blasphemiis acquiescant.“ Sed in aliis quoque libris hac ratione utitur. Velut in l. de viris illustr. prol. (ed. Herding pg. 1, 12): „Quamquam et Eusebius Pamphili in decem ecclesiasticae historiae libris maximo nobis adiumento fuerit et singulorum, de quibus scripturi sumus, volumina aetates auctorum suorum saepe testentur.“[2])

Plerumque autem atque praecipue in commentariis sequitur complures auctores. Quos singillatim profert, cum dicat, quid de eorum libris censeat.[3]) Supra iam cognovimus similia. Exponere enim solere scriptorem intelleximus rem nondum satis digne esse tractatam, quamquam multi de ea exstent libri. Quos cum enumerat, iis obtrectat et, etiamsi non prorsus eos condemnat,

---

[1]) cf. Cic. Acad. I 2, 8: Sed meos amicos .... in Graeciam mitto, ut ea (scil. philosophiam) e fontibus potius hauriant quam rivulos consectentur.

[2]) Similiter, unde argumentum fabulae sumpserint, confiteri solent poetae comici, sicut Plautus in Mil. glor. 86, Rud. 32, Terentius in Andr. prol. 9, Heaut. tim. prol. 4—5.

[3]) cf. Cic. de inv. I.

tamen res, quae multum valeant, ab iis omnino omissas esse demonstrat. Hic autem non modo non vituperat eos, qui antea de eadem re egerunt, sed etiam laudat. Quamquam hae duae partes etiam coniungi possunt, cum saepe eveniat, ut scriptor doceat libro aliquo ab altera parte rem optime tractari, alteram omnino omitti. — In Comm. epist. Gal. I unum scriptorem maxime se secutum esse dicit, quamquam ceteros non neglexerit (M. 26, 308 B): ,,. . . . Origenis commentarios sum secutus. . . . . (col. 309 A): Praetermitto Didymum . . . . et Laodicenum . . . et Alexandrum . . . ., Eusebium quoque Emesenum et Theodorum Heracleoten, qui et ipsi nonnullos super hac re commentariolos reliquerunt. E quibus si vel pauca decerperem, fieret aliquid, quod non penitus contemneretur.'' Nonnumquam in extremo prooemio quasi appendicem affert, qua enumerat auctores suos. E. g. in Comm. in epist. Eph. prol. in fine est (M. 26, 442 C): ,,Illud quoque in praefatione commoneo, ut sciatis Origenem tria volumina in hanc epistulam conscripsisse, quem et nos ex parte secuti sumus. Apollinarium etiam et Didymum quosdam commentariolos edidisse, e quibus licet pauca decerpsimus.'' Haud secus est in Comm. Evang. Matth. prol. (M. 26, 20 B). Laudem autem atque reprehensionem misceri apparet ex Comm. Jes. I, ubi Hieronymus demonstrat scriptores illos, qui iam de eadem re egerunt, non omnes quaestiones vel parvam tantum partem prophetae libri disseruisse. Legimus enim (M. 24, 20 C): ,,. . . in quo (scil. libro Jesaiae) maiorum nostrorum ingenia sudaverunt. . . . . Scripsit enim in hunc prophetam . . . . usque ad visionem quadrupedum in deserto Origenes, . . . Eusebius quoque Pamphili iuxta historicam explanationem quindecim edidit volumina et Didymus . . . . ab eo loco, ubi scriptum est: . . . usque ad finem voluminis decem et octo edidit tomos. Apollinaris autem more suo sic exponit omnia, ut universa transcurrat et punctis quibusdam atque intervallis, immo compendiis grandis viae spatia praetervolet, ut non tam commentarios quam indices capitulorum nos legere credamus.'' Praecipue in hoc postremo, quod protulit, opprobrium inesse puto, quod non satis sit illustrata res. — Apertius hoc est in Comm. Osee prol., ubi quaestionem quandam difficilem absolvit in prooemio atque pergit (M. 25, 819 A): ,,Ceterum non ignoro a multis ecclesiasticis praetermissam, et qui exponere sunt conati, ... tangens magis sensus quam explicans, ... sed et ipse nimia brevitate ad perfectam intellegentiam lectorem ducere non potest.'' Alios scriptores affert, ut Origenem, Eusebium, Didymum, quorum libros laudat, neque vero quisquam omnem prophetae librum interpretatus est. Tandem finem facit huius enumerationis: ,,Haec dico, ut noveris, quos in prophetae huius campo habuerim praecursores; quos tamen . . . . non in omnibus sum secutus eqs''[1]).

Neque vero solum nominat totius libri auctores, sed etiam singulorum capitum nonnumquam laudat. Saepius enim exponit in extrema parte, ut ostendat res in Scriptura sancta narratas vere accidisse, ad historicorum li-

[1]) cf. Cic. de inv. II 2, 6 sqq.

brorum memoriam sese esse relegaturum. Haec legimus in Comm. Dan. praef. (M. 25, 494 A): „Ad intellegendas autem extremas partes Danielis multiplex Graecorum historia necessaria est.“ Multos enumerat scriptores, quibus etiam adversarius, cui respondet, usus est, et porro alios, „qui omnem extremae visionis narrant historiam et post Alexandrum usque ad Caesarem Augustum Syriae et Aegypti, id est Seleuci et Antiochi et Ptolemaeorum bella describunt.“ Sed quasi se excusat, quod his in explanando propheta nitatur, „ut probemus ea, quae a sanctis prophetis ante saecula multa praedicta sunt, tam Graecorum quam Latinorum et aliarum gentium litteris contineri.“ Pariter in l. de nom. Hebr. praef. (M. 23, 772 A) librum auctoris sui Philonis sese amplificaturum esse pollicetur, cum exemplum sequatur Origenis, qui ipse quoque „in hoc laboravit, ut quod Philo quasi Iudaeus omiserat, hic ut Christianus impleret.“ Conferre licet praef. Chron. (ed. Helm, pg. 6): „. . . admixta sunt plurima, quae de Tranquillo et ceteris illustribus historicis curiosissime excerpsi.“ Vel quis sententiam quandam tulerit, de qua libro copiose locuturus est, docet in dial. adv. Pelag. prol. (M. 23, 497 A): „Illud autem Origenis proprium est et impossibile esse humanam a principio usque ad mortem non peccare naturam eqs.“ Quin etiam earum rerum, quae quamquam non arte cohaerent cum argumento, tamen ut utiles ad librum melius intellegendum in prooemio disseruntur, nonnumquam affert testes. In vita S. Pauli inquirit, quis fuerit primus eremita. Omnium de hac re sententias, quidque de iis censeat, breviter demonstrat et pergit (M. 23, 17 A): „Amathas vero et Macarius, discipuli Antonii, e quibus superior magistri corpus sepelivit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebaeum principem istius rei fuisse, non nominis, quam opinionem nos quoque probamus.“ Aut in Comm. epist. Tit. explorat, utrum vere haec epistula apostolo tribuatur necne, et quo magis fides epistulae confirmetur, sententiae suae commemorat auctorem praeclarum (M. 26, 556 A): „Sed Tatianus Encratitarum patriarches, qui et ipse nonnullas Pauli epistulas repudiavit, hanc vel maxime, hoc est ad Titum, apostoli pronuntiandam credidit.“

Huic usui nominandi testes, quorum auctoritatem scriptor secutus est, simillimus est alius. Multis enim locis laudantur viri praeclari, qui etiamsi non de eadem re egerunt, tamen in eodem genere scribendi versati sunt. Maxime ut se ab adversariorum opprobriis defendat, talia profert. Illorum enim, qui haud aliena ediderunt, praestantiam nemo non admiratur. Qua de causa inimici, qui iis obtrectare non audent, non habent, cur hoc genus scribendi Hieronymo crimini dent. Exemplo sit l. de viris illustr. prol. (ed. Herding, pg. 1, 1—4, 8—12): „Hortaris me, Dexter, ut Tranquillum sequens ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram, et quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam. . . . . Fecerunt quidem hoc idem apud Graecos Hermippus peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, et longe omnium doctissimus Aristoxenus musicus, apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus et, ad cuius nos exemplum

provocas, Tranquillus." Quod tot scriptores praeclarissimi fecerunt, etiam Hieronymum decet. Similis est sententia in multis translationum praefationibus. Obiecerunt ei adversarii, quod corrumperet verba Scripturae sanctae. Defendit se, cum ostendat veteres codices plenos esse errorum atque etiam alios apud Graecos exstitisse, qui novam Scripturae sanctae editionem instituerunt. Qui non modo non vituperati sunt, sed ab omnibus probati. Ut uno utar exemplo, in praef. l. Hiob (M. 28, 1079 A) sunt haec: „Cogor . . . adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam reprehensionem Septuaginta Interpretum criminantur; quasi non et apud Graecos Aquila, Symmachus et Theodotio . . . . genus translationis expresserint et omnia Veteris Instrumenti volumina Origenes distinxerit eqs."[1])

Aliud, quod adversarii ei obiecerunt, refutat hoc modo in Comm. Mich. II (M. 25, 1189 C—D): „Nam quod dicunt Origenis me volumina compilare et contaminari non decere veterum scripta (cf. Ter. Andr. prol. 16), quod illi maledictum vehemens esse existimant, eandem laudem ego maximam duco. . . . . Si enim criminis est Graecorum benedicta transferre, accusetur Ennius et Maro, Plautus, Caecilius et Terentius, Tullius quoque et ceteri eloquentes viri, qui non solum versus, sed multa capita et longissimos libros ac fabulas integras transtulerunt. Sed et Hilarius noster furti reus sit, quod eqs." Aequa est l. Hebr. Quaest. Gen. praef. (M. 23, 935), ubi relegat ad Terentium, Vergilium, Ciceronem.[2]) Ut eos ipsos nominet, non casu fit, sed hac re plane demonstratur maxime Hieronymum in eorum operibus versatum esse. Verisimile igitur est etiam in ceteris rebus eum illorum exempla sequi.[3])

Quod hoc modo, quidquid tractat, refert ad auctoritatem aliorum virorum praestantium, efficit, ut pluris aestimetur suus liber. Nam si fundamentum quaestionis bene est positum, tota disputatio fide digna ducitur. Augetur autem magnopere vis huius artificii, si scriptores, ad quos relegat, non modo nominantur, sed etiam valde laudantur. Unde demum intellegimus, quam sint praeclari illi auctores. Atque praecipue, si aliorum scriptorum libros in Latinam linguam vertit, ostendere debet dignos esse illos, qui apud Latinos palam fiant. Velut in Interpr. l. Did. de Spir. S. praef. demonstrat olim se de hac re librum legisse plane ineptum; Didymus autem copiosissime laudatur adhibitis imaginibus Scripturae sanctae. Finis prooemii est hic (M. 23, 104 A—B): „Certe qui hunc legerit, Latinorum furta cognoscet et contemnet rivulos, cum coeperit haurire de fontibus. Imperitus sermone est et non scientia, apostolicum virum ex ipso sermone exprimens tam sensuum lumine quam simplicitate verborum." Similia insunt in Interpr. Hom. II Orig. in Cant. Canticor. (M. 23, 1117) et in Jerem. et Ezech. prol. (M. 25, 585—86 A).

---

1) cf. Cic. de fin. I 2, 4—6.

2) cf. Terentii Andr. prol. 18—19, Heaut. tim. prol. 16—21.

3) Similiter Cicero saepe viam ac rationem, qua illustravit philosophiam, laudat, cum releget ad eius auctorem Socratem (Tusc. I 4, 8) vel Aristotelem (Tusc. II 3, 9).

Hoc loco, ut ostendat, quam insignis sit auctor, exponit, in quibus generibus scribendi ille versatus sit et quot libros praeclaros posteris reliquerit. Aliquantum differt Chronicorum praef., ubi Eusebium, cuius opus transtulit, defendere studet ab opprobrio quodam (ed. Helm, pg. 6 B 2—12): „. . . adieci in Romana maxime historia, quam Eusebius, huius conditor libri, non tam ignorasse, ut eruditus, sed ut Graece scribens parum suis necessariam perstrinxisse mihi videtur.“ Conferre licet Ciceronis de orat. II 1, 1—2, 6.

Neque vero satis est scriptori in optimis niti auctoribus, sed etiam debet scire, quomodo aptissime illis utatur. Atque in iis quidem libris, quos transfert in linguam Latinam, summae ei laudi est verba auctoris quam accuratissime conservare. Affirmat igitur se quam artissime exemplum eius esse secutum et adhortatur lectores, ut, priusquam translationem suam condemnent, diligenter eam inspiciant et comparent cum eo codice, ex quo transtulit. Sicut in praef. l. Psalm. (M. 28, 1125 A): „Certe confidenter dicam et multos huius operis testes citabo me nihil dumtaxat scientem de Hebraica veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea a veteribus discreparit, interroga quemlibet Hebraeorum et liquido pervidebis me ab aemulis frustra lacerari eqs.“ Similia inveniuntur in prol. galeato (M. 28, 557 B), praef. in Ezram (M. 28, 1404 A), saepius. Vel simpliciter dicit Hieronymus se Origenis homilias translaturum esse, „sicut in Graeco habentur.“ (Transl. Hom. XXXIX Or. in Ev. Luc., M. 26, 219 A), item in Interpr. Hom. II Orig. in Cant. Cantic. praef. (M. 23, 1118 A): „. . . . hos duos tractatus . . . fideliter magis quam ornate interpretatus sum.“ Si ipse non satis linguae peregrinae peritus est, consulit aliquem, qui eius est maxime gnarus. Velut in l. Tobiae, quem „Chaldaeo sermone conscriptum ad Latinum stylum trahit“, ut diligentiam vertendi demonstret, exponit in prooemio (M. 29, 25—26 A): „Et quia vicina est Chaldaeorum lingua sermoni Hebraico, utriusque linguae peritissimum loquacem reperiens . . . ., quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario sermonibus Latinis exposui.“ — Rari sunt loci, quibus verba exempli libere atque ad sensum se vertisse profitetur, velut in praef. l. Judith (M. 29, 39 A): „. . . magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transferens.“[1]) Multum enim eius interest libros Scripturae sanctae veros, sicut traduntur, legi. Qua de causa errores memoriae tollit, pristinam fidem restituit. In praef. l. Jerem. docet (M. 28, 848 C): „Praeterea ordinem visionum, qui apud Graecos et Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus.“ Similia fere leguntur in Comm. Jerem. prol. 2 (C S E L 59, pg. 3—4) vel in praef. l. Sal. j. LXX Interpr. (M. 29, 404 C).

In ceteris autem libris indignum est eius auctoritate protinus aliorum scriptorum exempla sequi, et eos libros, quos non a Scriptis sanctis, sed ab aliis viris praeclaris vertit, nonnumquam amplificat. Quae minoris momenti

---

[1]) cf. Cic. de opt. gen. orat. § 14.

putat, omittit, plura addit, ut librum perfectiorem reddat. Velut Chronica, quae ab Eusebio transtulit, trans finem, quem ille posuit, aliquanto longius propagavit usque ad suam fere aetatem. Hoc ipse confirmat in prooemio (ed. Helm, pg. 6, 19 sqq.): ,,Sciendum etenim est me et interpretis et scriptoris ex parte officio usum, quia et Graeca fidelissime expressi et nonnulla, quae mihi intermissa videbantur, adieci eqs.‘‘ Accuratius etiam profert, usque ad quem locum Eusebii verba verterit et quam partem amplificaverit iis rebus, quas ipse commemorabiles putaverit. Postremum autem caput, cuius termini indicantur, ,,totum, ait, meum est.‘‘ Conferre licet l. de situ et nom. loc. Hebr. praef. (M. 23, 860 A).

In commentariis autem ex omnibus, qui antea de re scripti sunt, libris optima quaeque eligit, cetera neglegit. Sicut in Comm. Osee prol. (M. 25, 820 A—B): ,,. . . . quos tamen . . . . non in omnibus sum secutus; ut iudex potius operis eorum quam interpres exsisterem diceremque, quid mihi videretur in singulis eqs.‘‘[1]) Rebus, quas ex libris illis hausit, nonnulla ipsum suo ingenio se adiunxisse dicit in Comm. epist. Eph. prol. extremo (M. 26, 442 C—D): ,,. . . . quem (scil. Origenem) et nos ex parte secuti sumus, ... (alios scriptores nominat), e quibus licet pauca decerpsimus, et nonnulla, quae nobis videbantur, adiecimus sive subtraximus, ut studiosus statim in principio lector agnoscat hoc opus vel alienum esse vel nostrum.‘‘ Par est sententia in Comm. epist. Gal. (M. 26, 309 A).[2]) Saepius in hac re imagine utitur ex Scriptura sancta petita, sicut in Comm. Zach. prol. (M. 25, 1418 A), ubi, postquam omnes, qui antea de re scripserunt, enumeravit: ,,Itaque imitari cupiens, inquit, illum patrem familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (Matth. 3, 52) et sponsam de cantico canticorum, quae dicit: Nova cum veteribus, fratruelis meus, servavi tibi (Cant. 7, 3) eqs.‘‘ Idem fere inest in Comm. Jes. prol. (M. 24, 18 A).

Quod hoc modo exponit, quomodo usus sit aliorum scriptorum libris, ipse suum commendat librum. Nam quae profert, hausta sunt ex optimis quibusque fontibus; neque tamen ad verbum illos transcripsit, cum contendat ex suo ingenio pauca se addidisse. Omnibus autem his rebus, quae adhuc protuli, Hieronymus repellit adversariorum crimina, qui ei obiecerunt sententiam et rationem, qua illam illustravit. Accedit tertium, quod inimici ei vitio dant. Accusant enim ipsam scriptoris personam. Qui cum se defendat, non eadem via debet progredi in hac re atque in reliquis. Si enim se ipse laudibus efferret, nimia arrogantia sua lectorum animos offenderet. Non videtur fide dignus is, qui desperat fore, ut iusto civium suorum arbitrio liber probetur, quique tam egens est ingenio, ut opus ei sit de se ipso praedicare. In contrarium igitur convertitur laudatio. Sed longe alia ratione utitur in hac

---

[1]) cf. Cic. de fin. I 2, 6; 3, 7; de inv. II 2, 4; de off. I 2, 6.
[2]) cf. Xenoph. περὶ ἱππικῆς I 1. Cic. de inv. II 3, 8.

re. Tantum enim abest, ut se ipse laudet, ut sibi obtrectet. Ita quodam modo ipse demit criminibus adversariorum vehementiam, cum videatur ex parte iis assentiri. Simul, si qua iure libro obiciuntur, se excusat ita, ut ipse confiteatur et scriptorem et librum indulgentia lectorum indigere. Sed vero ab auctoritate sua nihil detrahit. Nam etiamsi ipse suum ingenium deminuit, tamen quod tantum et tam praeclarum librum scribere potuit, optimo est testimonio praestantiae scriptoris.

In Comm. Osee III (M. 25, 903 D) docet se opus scribere, „quod magis temeritatem nostram possit arguere quam scientiam prodere." Similem modestiam prae se fert: Comm. Ezech. III (M. 25, 76 D): „. . . . illud te et ceteros, qui lecturi sunt, deprecantes, ut non vires nostras, sed votum considerent eqs."; l. XIII (M. 25, 405 C): „. . . fateor me pro rei magnitudine nihil dignum scribere . . . ."; Comm. Zach. prol. (M. 25, 1418 B): „Tuae benevolentiae erit non eruditionem nostram, quae vel nulla vel parva est, sed pronam in te suscipere voluntatem." Item talia leguntur in Vitae S. Pauli prol. (M. 23, 18 A); in Comm. epist. Eph. II (M. 26, 476 D); vel in praef. l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 401 A): „Fateor enim, ... numquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse nec habuisse magistrum opinionem meam, sed ea etiam, de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum; quanto magis de his, super quibus anceps eram." Non aliter in Comm. epist. Gal. III (M. 26, 399 B): „. . . . cudimus non ignari imbecillitatis nostrae et exilis ingenii rivulum vix parvo strepentem murmure sentientes."[1]) Nonnumquam comparat librum suum cum sacrificio, quod praebet ecclesiae. Pro suis quisque opibus immolat, alius magnas divitias, alius vilia dona. Sic est in prol. galeato (M. 28, 557 A): „In tabernaculum Dei offert unusquisque, quod potest, alii argentum et aurum et lapides pretiosos . . . . Nobiscum bene agetur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria iudicat eqs." Similis est praef. l. Jos. (M. 28, 463 A). Relegare solet hac occasione data ad parabolam illam, quae in libris sacris narratur de exiguo nummo pauperis viduae, qui multo pluris est quam donum pretiosum divitis ex abundantia praebitum. Conferre licet Comm. Osee III (M. 25, 903 D): „. . . . pro offerentium viribus in gazophylacium Dei multorum divitias duo mulieres pauperis aera superarunt." Haud aliter est in Comm. Abd. prol. (M. 25, 1098 A). Saepius queritur praeclarissimo cuique scriptori ab inimicis obtrectari; quanto magis ipsi ut viro parvo ingenio praedito talia esse subeunda. Sicut in l. Hebr. Quaest. Gen. praef. (M. 23, 935 A) Terentium, Vergilium, Ciceronem commemorat et pergit: „Non mirum ergo, si contra me parvum homunculum immundae sues grunniant, . . . cum adversus doctissimos viros, et qui gloria invidiam superare debuerant, livor exarserit." Illis invidia non nocuit, ipse sine ullo praesidio eorum criminibus expositus est, cum non possit ornare librum suum arte rhetorica; qua

[1]) cf. Plinii Nat. Hist. I 1, Cic. de inv. II 3, 10.

de causa respondet inimicis: „. . . . novo operi veniam concedendam. Ut enim nos humiles atque pauperculi nec habemus divitias nec oblatas dignamur accipere eqs.“ Prorsus similis est Comm. Jes. XI (M. 24, 377 C), nec multum differt Comm. epist. Gal. prol. (M. 26, 308 A).

Quod ita ipse suae auctoritati modestia quadam videtur obtrectare, vis huius rationis augetur alia re. Rem enim, quam tractandam sibi proposuit, tanta esse difficultate confirmat, ut solus suis viribus fretus satis eam illustrare non possit. Etiam hoc modo et crimina adversariorum a se repellit transfertque in rem ipsam et se ipse commendat, cum idoneum se praestet, qui tam obscuram rem exponat. Quanto enim obscurior est res, tanto maior est gloria eam illustravisse. — Huius artificii usitatissimi non pauca sunt exempla: Comm. Ezech. XII (M. 25, 370 C): „Nos autem ea, quae in opere difficillimo possumus suspicari, simpliciter confitemur eqs.“; eiusdem operis l. XIV (M. 25, 448 D): „Ita et ego istarum Scripturarum ingressus oceanum et mysteriorum Dei, ut sic loquar, labyrinthum . . .“; Comm. Zach. prol. (M. 25, 1417 B): „. . . et gaudeo, quod obscurissimus liber Zachariae prophetae et inter duodecim longissimus eo tempore disserendus est eqs.“ Eadem scripta sunt in eiusdem operis l. II (M. 25, 1453 D) et III (M. 25, 1497 D) et multis aliis locis, velut Comm. Osee III (M. 25, 903 D), praef. in Jes. (M. 28, 772 B), in Hiob (M. 28, 1081 A), epist. XXXVI, qua copiose respondet ad res, quas Damasus papa ex eo quaesiverat, cap. 1, 3 (C S E L. 54, pg. 268, 16), l. contra Joh. Hieros. § 1 (M. 23, 355 A), in Comm. Jes. I (M. 24, 19 A, 20 B), Ezech. XI (M. 25, 325 C) etc.[1]) — Difficultas argumenti crescit ea re, quod inimici statim libro maledicere parati sunt. Qua re scriptor impeditur, ne summis viribus in litteris versetur. In praef. in Pentat. de eo, quod scripturus est, censet ita (M. 28, 147 A): „Periculosum opus certe et obtrectatorum meorum latratibus patens eqs.“ Par est praef. in IV Evang. (M. 29, 525 C). Nonnumquam accuratius exponit difficultatem rei. Velut demonstrat multo esse facilius leviter singulas quaestiones perstringere quam subtiliter atque copiose de iis agere, ut in Vitae S. Hilar. prol. (M. 23, 29 B): „. . . . aliud est locis communibus laudare defunctum, aliud defuncti proprias narrare virtutes.“ Cui sententiae par invenitur in Comm. epist. Eph. prol. (M. 26, 440 B). Vel ostendit etiam praeclaros scriptores, qui de re scripserunt, non satis eam illustravisse; quid, quod ipse ut homo mediocris ingenii ad rem accedat? Exemplo sit Comm. Jes. V (M. 24, 154 C): „Quid igitur faciam? Subeamne opus, in quo eruditissimi viri sudaverunt . . . . (non digne rem tractaverunt), an taceam et aperte huius generis expositionem nescire me dicam?“ Similia profert in Comm. Jes. I (M. 24, 20 B—C) et Jon. prol. (M. 25, 1117 C). Pariter docet difficillimum esse ex tanta rerum commemorabilium copia gravissima quaeque eligere. Comm. Evang. Matth. prol. (M. 26, 20 B): „Primum enim difficile est omnes legere, qui in evangelia scripserunt, deinde multo diffi-

[1]) cf. Cic. de nat. deor. I 1, 1.

cilius adhibito iudicio, quae optima sunt, recipere." Paulum differt praef. in Dan. (M. 28, 1291 B sqq.), ubi, postquam commemoravit Danielis librum Chaldaica lingua esse conscriptum, quam difficilis sit haec lingua, demonstrat, cum narret, quantam operam ipse adulescens in ea discenda posuerit: „Haec idcirco, ut difficultatem vobis Danielis ostenderem eqs." Similis est Chronicorum praef. Initio enim dissserit, quam difficile sit in universum alienae linguae opera in patriam vertere. Praeclarissimos viros in hac re versatos esse, ut orationem suam exercerent, sed omnem sermonis splendorem, quem praebeat exemplum, translatione exstingui. Petit igitur, ut in legendo hoc opere amici utantur indulgentia, cum interdum nimis aspere verba fluant (ed. Helm, pg. 4 b, 20): „. . . et ad communem difficultatem, quam in omni interpretatione causati sumus, hoc nobis proprium accedat, quod historia multiplex est, habens barbara nomina, res incognitas Latinis, numeros inextricabiles, virgulas rebus pariter ac numeris intertextas, ut paene difficilius sit legendi ordinem discere quam ad lectionis notitiam pervenire."[1]) Vel exponit se non ut alios scriptores, qui similia ediderunt, historiae libris fontium loco uti posse (l. de viris illustr. prol., ed. Herding pg. 1, 13—18): „Sed non est mea et illorum similis condicio; illi enim historias veteres annalesque replicantes potuerunt quasi de ingenti prato non parvam opusculi sui coronam texere. Ego quid acturus, qui nullum praevium sequens pessimum, ut dicitur, magistrum memet ipsum habeo?" In Comm. Ezech. prol. denique sunt haec (M. 25, 17 A): „. . . . aggrediar Ezechielem prophetam, cuius difficultatem Hebraeorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos aetatem sacerdotalis ministerii . . . . impleverit, ... nec huius voluminis exordium et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam et mysticos intellectus plenum humanae naturae tempus accedat." In Comm. Osee prol., quem supra commemoravi, visionem primam libro ipso tractandam iam in prologo explanat, qua ostendat difficultatem et obscuritatem huius prophetae.

Res ergo est difficillima, ipse parvo ingenio praeditus, id quod simulat quidem scriptor. Qua de causa non valet ad opus suis viribus perficiendum. Alieno eget adiutore, qui potentior est ipso. Atque ut homo Christianus religione atque pietate commotus confidit auxilio Dei, qui certe efficiet, ut ea opera, quibus ipse celebratur, bene eveniant. Multis enim locis Hieronymus asserit se suis viribus nihil valere, omnia debere intellegentiae divinae. Velut in Comm. Ezech. XIV (M. 25, 448 D) dicit se scribere „non meis viribus, sed Christi misericordia". Aut in Comm. Abd. prol. (M. 25, 1098 A): „Gratia enim eius (scil. Dei) sum, quod sum (1. Cor. 15)" Idem fere inest in Comm. Zach. III (M. 25, 1497 D), Osee I (M. 25, 815 A sqq.), Ezech. XIII (M. 25, 405 C): „Fateor me pro rei magnitudine nihil dignum scribere et in paucis, si qua tamen accipere meruero, gratias agere Salvatori." — Itaque saepe docet se in componendo opere adiuvari beneficio Dei, sicut in Comm. Ezech.

---

[1]) cf. Vitruvii de arch. V praef. 2, Cic. de fin. III 1, 2—2, 5.

XIII (M. 25, 405 B): „Tertius decimus explanationum in Ezechielem liber . . . ., quem . . . . opitulante Salvatore nostro ad finem usque dictare cupio eqs.“ Simile est enuntiatum in eiusdem operis l. XI (M. 25, 325 C): „Quem (scil. l. XI) si adiuvante Domino et sua mysteria disserente potuero ad calcem usque perducere eqs.“ Item in Comm. Jes. VI (M. 24, 205 C). Saepius adhibet in hac re imaginem navigationis (cf. pg. 88/89). Fingit se in altum provehentem atque orat Spiritum sanctum, ut vela sibi pandat et optime cursum regat. Velut in Comm. Ezech. XII (M. 25, 369 D): „. . . . . flante Spiritu sancto vela suspendam, ignorans, ad quae sim litora perventurus, et cum hoc eodem propheta clamitans: A quattuor ventis veni, spiritus!“ Non multum differt Comm. Jes. IV (M. 24, 129 A). — Qua de causa ut Dei opem assequatur, saepissime petit ab amicis, quibus librum mittit, ut sibi precationibus adsint (v. pg. 52). Ipse quoque nonnumquam invocat illum, ut sibi succurrat. Sicut in l. de viris illustr. prol. (ed. Herding, pg. 2, 3—7): „Itaque Dominum Jesum Christum precor, ut, quod Cicero . . . . . non est facere dedignatus in Bruto . . . ., id ego in eius Ecclesiae scriptoribus enumerandis digne cohortatione tua impleam.“ Eadem progreditur ratione in Vitae S. Hilar. prol. (M. 23, 29 A) et praecipue in l. de perp. virg. B. Mariae § 2, ubi singillatim invocat Deum Patrem, Jesum Christum, Spiritum Sanctum, quorum auxilio utatur iustum opus conscribens (M. 23, 185 A).[1])

Accedunt aliae causae, quae cum insint in ipsa scriptoris persona, augent difficultatem operis. Neque enim summis viribus se dedere potest rei tractandae, sed aliis negotiis occupatus librum conficiendum differre cogitur in aliud tempus. In universum queritur se impediri, ne in litteris versetur, in Comm. Jes. IX (M. 24, 313 D): „Variis molestiis occupati explanationes in Jesaiam prophetam per intervalla dictamus. Unde expleto octavo volumine nunc post aliquantum temporis spatium transimus ad nonum.“ Accuratius narrat, qua re perturbetur, in Comm. Ezech. III (M. 25, 75 sqq.). Societas enim Christianorum, quae fuerat Romae, crudelissime vexata atque dissipata est. Cotidie in solitudinem cum totius sanctae Terrae, tum monasterii, quod est in oppido Bethlehem, confluunt verae fidei sectatores, qui habitaverunt ad occasum solis. Quos ut miseria atque inopia levet, animus impellit. Hac autem re tantopere occupatur, ut commentarios in Ezechielem aliquamdiu omittere coactus sit. Eadem narrat in Comm. Ezech. VII (M. 25, 199). Aliis locis retineri se dicit inimicitiis adversariorum, qui numquam desinunt ei maledicere. In interpr. l. Did. de Spir. S. praef. exponit iam antea, cum Romae versatus sit, hoc opus scribere se in animo habuisse. Sed „Pharisaeorum senatus“ tantopere „conclamavit“, ut consilio desisteret. Nunc in solitudine ab amicis circumdatus opus conficere potest. (M. 23, 101 sqq.). Vel in praef. l. Hiob

[1]) Admonere licet de usu poetarum epicorum, qui ipsi quoque numquam omittunt auxilium petere alicuius dei vel musarum. Praeclarissimo exemplo sunt carmina Homeri. Sed etiam scriptores didactici orant in prooemio, ut dei sibi adsint in re difficillima illustranda, sicut Lucretius de rer. nat. I 24 sqq. Varro r. rust. I 1, 4—6.

alt. vers. (M. 29, 61 B) legimus haec: ,,Si aut fiscellam iunco texerem aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem et ventris opus sollicita mente tractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem, quia iuxta sententiam Salvatoris volo operari cibum, qui non perit, ... mihi genuinus infigitur eqs.“ (cf. praef. Chronic., ed. Helm, pg. 5 b 19 sq.). Tandem affero Comm. Osee II (M. 25, 859 C): ,,. . . omnibusque in arte tam gloria quam obtrectatio oritur, dum aut amici plus merito laudant, aut inimici plus iusto detrahunt. . . . . . Quod mihi in Scripturarum explanatione sudanti accidere video.“ Quidque adversarii sibi obiciant, accuratius profert.

Nonnumquam docet in prooemiis gravissimo morbo, in quem inciderit, operam, quam posuerit in libris scribendis, aliquamdiu intermissam esse. Velut in praef. l. Salom. (M. 28, 1241 A): ,,Itaque longa aegrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, ... tridui opus nomini vestro consecravi eqs.“ Conferre licet Comm. Evang. Matth. prol. (M. 26, 20 C). Praecipue autem huc spectant Comm. Jes. XIII et XIV. In l. XIII (M. 24, 441 D sqq.) enim imagine navigationis usus exponit in explanando Jesaia acerrima tempestate se esse oppressum et adhortatur Eustochium, ad quam scribit, ut pro se oret. Quid autem significet hac tempestate, apparet ex postremo pronuntiato, quod est: ,,Et interim donec misericors et miserator Dominus patiens et multarum miserationum reddat pristinam sanitatem, hanc praefatiunculam tumultuario sermone dictavi eqs.“ Librum autem XIV composuit, postquam ex morbo illo gravissimo recreatus est. Summis enim laudibus effert Deum (M. 24, 477 B): ,,Qui me subito langore percusserat, incredibili velocitate sanavit, ut terreret potius quam affligeret et emendaret magis quam verberaret.“ Atque pollicetur tanto maiore cum studio nunc opus inceptum sese esse confecturum, ut hac re gratiam referat Deo, cuius benignitate servatus sit.

Morbis autem atque senectute vires eius consumuntur, ut libro non adeo, ut cupit, operam dare possit. In Comm. Jes. X (M. 24, 351 A) exponit amicos novum iam opus a se petivisse, ,,cum ego et aetatis et corporis imbecillitate confectus notariorumque penuria, qui me possent suis ministeriis adiuvare, in eodem adhuc luto haesitem et vix partem Jesaiae mediam in hoc volumine finiturum esse me credam.“ De valetudine sua infirma loquitur etiam in Comm. Amos II (M. 25, 1021 D sqq.), ubi disserit senectutis bona et mala et pensans utramque partem ad extremum commoda pluris aestimat quam incommoda. Maxime autem queritur sese esse vexatum doloribus oculorum; qui, quod multum in legendis libris versatus est, prorsus hebent. Conferre licet Comm. Ezech. VII (M. 25, 199 B): ,,Accedit ad hanc dictandi difficultatem, quod caligantibus oculis senectute . . . ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebraeorum volumina relegere, quae etiam ad solis dieique fulgorem litterarum nobis parvitate caecantur.“ Similia disserit in transl. Hom. Orig. in Jerem. et Ezech. prol. (M. 25, 584) et paulo copiosius in Comm. epist. Gal. III (M. 26, 399 D). Hac re autem cogitur aliorum auxilio niti in operibus suis conficiendis. Non ipse potest inspicere, quod alii de re censuerunt,

sed rogare debet fratres, ut sibi legant. Comm. Ezech. VII (M. 25, 199 C): „Sed et Graecorum commentarios fratrum tantum voce cognoscimus. Nullique dubium, quod alienis dentibus commoliti cibi vescentibus nauseam faciant.“ Praecipue autem malis senectutis prohibetur ipse litteris mandare, quod scribi vult. Sed quamvis invitus notariis dictat; id quod saepissime affirmat in prooemiis, velut in Comm. epist. Gal. III (M. 26, 399 D): „Accedit ad hoc, quia propter oculorum et totius corpusculi infirmitatem manu mea ipse non scribo.“ Quae autem incommoda sint subeunda, si ad notarii adiumentum refugit, planius demonstrat. Nam aut statim dictat, quod ei in mentem venit, aut si diutius deliberat, notarius, cum non iam habeat, quod scribat, festinare cupiens nimis eum impellit ad celeritatem. Sin autem nullo spatio intermisso verba sua dictat Hieronymus, facile fieri potest, ut sententiae singulae inter se confundantur, ut sermo minus eleganter fluat, denique ut libro haec ratio magno sit detrimento. Qua de causa indulgentia opus est lectorum, ne temere librum condemnent, si qui locus minus perspicue est illustratus, atque praecipue, si copia verborum est amplior vel angustior desiderio.

Nam id his omnibus locis postremo agit, ut ostendat, quantopere in opere conscribendo prohibeatur quantumque damnum accipiat liber nulla sua culpa, quo magis commendet suam praestantiam. Quantum autem hoc pertineat ad artem rhetoricam, apparet ex auct. ad Her. I 5, 8: „Ab nostra persona benivolentiam contrahemus . . . ., si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem.“ Idem exponit Cic. de inv. I 16, 22. Qui ipse sequitur hanc doctrinam in l. de orat. I 1, 2—3. Eandemque legem praebet Quintilianus IV 1, 8: „ . . . . . quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos, imparatos, impares agentium contra ingeniis dixerimus.“

Quid, quod compluribus locis disserit Hieronymus se diuturno morbo vel aliis causis prorsus scribere desuetum minus esse exercitatum? Velut in transl. Reg. S. Pach. praef. (M. 23, 61): „Quamvis acutus gladius et levigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine et splendorem pristini decoris amittit. Unde et ego maerens super dormitione sanctae et venerabilis Paulae eqs.“ Similis est excusatio in Vitae S. Malchi prol. cap. 1 (M. 23, 53 B). Aut ostendit sese tantopere Scripturae sanctae et linguae Hebraicae studuisse, ut a scriptoribus praeclarissimis Latinis atque arte rhetorica imbutis prorsus abalienatus sit. Comm. epist. Gal. III (M. 26, 399 C): „Sed omnem sermonis elegantiam et Latini eloquii venustatem stridor lectionis Hebraicae sordidavit; nostis enim et ipsae, quod plus quam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas numquam Tullius, numquam Maro, numquam gentilium litterarum quilibet auctor ascendit. . . . . Quod autem profecerim ex linguae illius infatigabili studio, aliorum iudicio derelinquo, ego, quid in mea amiserim, scio.“

Nonnumquam ut neglegentiam scribendi excuset, ostendit summa cum celeritate se opus confecisse, cum amicorum voluntati obsecutus sit. Velut in Comm. Zach. II (M. 25, 1455 A): „Secundi libri explanationum in Zacha-

riam istud exordium est, quem tanta celeritate dictamus, ut paene non sit emendandi spatium, dum frater Sisinnius (quem Exsuperius, ad quem liber scribitur, miserat, ut secum auferret opus) Aegyptum ire festinat." Similia docet in Comm. Jes. II (M. 24, 57A), quamquam hoc loco dicit de libro, qui antecessit, I; porro in Comm. Zach. prol. (M. 25, 1418 A), epist. Eph. II (M. 26, 477 A), in praef. l. Judith (M. 29, 39A). Hac re orationem magnum capere detrimentum manifestum est. Conferre licet Comm. Zach. III (M. 25, 1497 C): ,,Urget me frater Sisinius, incompta et impolita transmittere, ut non dicam emendandi, sed ne relegendi quidem habeam facultatem. . . . . Quidquid sensu concipimus, composito non licet ornare sermone. . . . . Quamvis enim elegans sit exercitatumque ingenium et longo usu trita currat oratio, tamen, nisi auctoris manu curata fuerit et polita, redolet sordes neglegentiae et vel nimio verborum flore luxuriat, vel hiulca vocalibus fit, vel aspera consonantibus." Similia inveniuntur in Comm. Ev. Matth. prol. (M. 26, 21 A).

His omnibus rebus fingere studet se nulla arte adhibita quasi ex tempore opus perficere atque variis causis impediri, ne leges rhetoricas respiciat. Quomodo haec ratio celandi artem, qua scriptor re vera semper utitur, pertineat ad librum ipsumque scriptorem commendandum, supra vidimus (pg. 68). Quam praestans autem erit liber, in quo Hieronymus consulto sequitur virorum doctorum praecepta. Saepe enim pollicetur sese non contentum fore hac illustratione minus egregia, sed occasione data multo praeclariorem compositurum. E. g. in Comm. Ev. Matth. prol. (M. 26, 20 C sq.): ,,Si autem mihi vita longior fuerit, ... tunc nitar implere, quod reliquum est, ... ut scias, quid intersit inter subitam dictandi audaciam et elucubratam scribendi diligentiam." Idem fere legitur in Comm. Jes. V (M. 24, 154 C) et saepius.

Quamquam hanc modestiam, quam scriptor prae se fert, totam fictam esse atque artificium, quo alliciat homines ad legendos suos libros, vel ex eo apparet, quod libros in publicum edidit. Si enim iusta putat illa crimina adversariorum, quibus ex parte assentitur, cur iterum atque iterum hominibus praebet, quod inimici vituperent, amici, cum laudare non audeant, silentio praetereant? Atque profecto modestia ista terminatur iusto spiritu scriptoris. Qui quanto magis confidit suis viribus, tanto minus utitur hoc artificio. Sicut Cicero in libris suis exceptis adulescentiae orationibus suae praestantiae conscientia elatus prorsus fere hanc rationem repudiavit neque dubitavit se ipsum multis locis laudibus efferre. Hieronymus ipse quoque tantum veretur, ne modum excedat modestiae, ut etiam contrarium saepe inveniatur in eius prooemiis. Sed cum scriptor se ipse celebrat, prudentissime debet id agere, ne lectorem pigeat arrogantiae huius commendationis. Qua de causa semper fere laudem, quam sibi ipse tribuit, statim paulum restringit. Velut in Comm. Ezech. XIV (M. 25, 418 D): ,,Perfectam quidem scientiam veritatis mihi vindicare non audeo, sed nosse cupientibus aliqua doctrinae indicia praebuisse, non meis viribus, sed Christi misericordia eqs." Vel in l. de situ et nom. praef.

est (M. 23, 860 A): ,,Ut enim mihi excelsa non vindico, ita terrae cohaerentia supergredi posse me credo.“ Vel docet ab aliis, qui se idoneum putent, sese esse rogatum, ut librum conscribat (l. de nom. Hebr. praef., M. 23, 771 A): ,,Itaque hortatu fratrum Lupuliani et Valeriani, qui me putant aliquid in Hebraeae linguae notitia profecisse eqs.“ Saepius verba facit de studio suo litterarum et ostendit, quam sit doctus quantoque magis idoneus ad librum conscribendum quam ii, qui antea eandem rem tractaverunt. Sicut in praef. in Ezram (M. 28, 1405 A): ,,Nos autem, qui Hebraeae linguae saltem parvam habemus scientiam et Latinus nobis utcumque sermo non deest, et de aliis magis possumus iudicare et ea, quae ipsi intellegimus in nostra lingua promere.“[1]) Item in praef. l. Hiob (M. 28, 1082 B) primum quidem docet magistri Hebraeae linguae peritissimi auxilio se usum esse, quo melius librum intellegeret et converteret. Postremo autem exponit, quam ipse sit aptus, qui hoc opus perficiat: cum Graecorum haereticorum translationes, quae multas res in dubio reliquerunt, acceptae sint, ,,quanto magis ego Christianus de parentibus Christianis natus et vexillum crucis in mea fronte portans, cuius studium fuit omissa repetere, depravata corrigere et sacramenta Ecclesiae puro ac fideli aperire sermone, ... non debeo reprobari ?“ In praef. Pentat. autem contendit se melius res obscuras in libro vertendo illustrare posse quam Septuaginta Interpretes (M. 28, 151 A): ,,Illi interpretati sunt ante adventum Christi, et quod nesciebant, dubiis protulere sententiis. Nos post passionem et resurrectionem eius non tam prophetiam quam historiam scribimus. . . . . Quod melius intellegimus, melius et proferimus.“ Vel profitetur se multis itineribus tantam locorum, quibus res evenisse narrantur, scientiam sibi comparavisse, ut prorsus res explanare possit. In praef. l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 401 A) sunt haec: ,,Quomodo Graecorum historias magis intellegunt, qui Athenas viderint, ... ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus est. . . . . Unde et nobis curae fuit cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universae Christi ecclesiae sonant.“ Similia de se narrat Diodorus Siculus I 4, 1. — Atque usque eo audet progredi laudans se ipsum, ut in praef. l. Hiob alt. vers. (M. 29, 62 B) doceat multis vitiis memoriae librum fuisse depravatum et pergat: ,,Ita ego in lingua nostra (audacter loquor) feci eum (scil. Hiob) habere, quae amiserat.“ — Talia ad commendandum librum pertinere non est, quod amplius ostendam. Nam si scriptoris persona laudatur, hac re etiam ad librum eius legendum homines incitantur.[2])

Non minus spectat ad commendandum ipsum scriptorem, quod relegat ad alios libros, quos tum confecit tum in animo habet componere. Praecipue admonet de operibus antea scriptis; quibus si delectati sunt, qui legerunt,

[1]) Similiter Cicero in libris, quos scripsit de philosophia, iactat, quantopere a puero versatus sit in hac arte, ut in l. de nat. deor. I 3, 6; de off. II 1, 4.

[2]) cf. Vitr. de arch. III praef. 3.

impelluntur, ut novo quoque libro operam dent. Nam exspectant certe eundem scriptorem, cuius disputatio tum maxime iis placuit, nunc quoque praeclarum librum atque dignum, qui legatur, concepturum esse. — Saepissime inveniuntur initia librorum, quale hoc (Comm. Jes. prol.; M. 24, 17 A): „Expletis longo vix tempore in duodecim prophetas viginti explanationum libris et in Danielem commentariis cogis me, virgo Christi Eustochium, transire ad Jesaiam.“ Paria legimus in Comm. Jerem. (C S E L 59, pg. 3), Ezech. (M. 25, 16 A), Jon. (M. 25, 1117 B), epist. Gal. prol. (M. 26, 307 A), in praef. i. Josuae (M. 28, 461 C), saepius. Etiam medio in prooemio quasi praeteriens mentionem facit libri, quem antea scripsit. Velut dicit in Comm. Dan. prol. (M. 25, 494 A): „. . . . . non iuxta consuetudinem nostram proponentes omnia et omnia disserentes, ut in duodecim prophetis fecimus, sed breviter et per intervalla ea tantum, quae obscura sunt, explanantes. . . .“ Similiter aliud opus leviter perstringit in epist. XVIII, quae est de Seraphim et calculo, cap. 1, 4 (C S E L 54, pg. 75), ubi recurrit ad Chronica, porro in l. contra Vigil. cap. 3 (M. 23, 341 B), Comm. Abac. (M. 25, 1273 A—B), epist. Eph. prol. (M. 26, 441 A), praef. l. Paral. (M. 28, 1325 B). Nonnumquam commemorat iam antea de eadem re se egisse, velut in Comm. Jes. V (M. 24, 153 C), ubi, ne idem rursus tractet, librum antea scriptum nunc contextui totius de Jesaia operis se inserturum esse dicit; aut in Comm. Abd. prol. (M. 25, 1097A sqq.) adulescentem se de eodem propheta verba fecisse confitetur, sed prorsus indigne. Saepius etiam multos libros a se confectos enumerat, quo magis se commendet. Velut demonstrat se magnum opus, in quo versatur, paulum intermisisse, ut aliis libris operam daret. Quod autem in hoc spatio temporis confecit, diligenter profert. Talis est Comm. Jon. prol. (M. 25, 1117 B). Vel exponit se in amplissima interpretatione non a primo capite usque ad postremum procedere, sed quodcumque amici a se petiverint, quodcumque ut illustraret, ipse impulsus sit, ei se operam dedisse atque paulatim hoc modo orbem totius operis expleri. Exemplo est Comm. Amos III (M. 25, 1057), ubi docet, quas operis partes iam perfecerit quibusque miserit. Etiam quod in prooemiis sese defendit ab inimicis, qui libros vituperant, quibus longe aliud tractat, huc spectat (Comm. Jes. XI; M. 24, 377 B, v. pg. 33/34).

Ne hic quidem usus deest in aliorum scriptorum prooemiis. Satis habeo relegare ad Ciceronis de fin. I 1, 2; de nat. deor. I 5, 11; de divin. I 4, 7; maxime autem hoc loco laudandum est prooemium illud l. de divin. II.

Non minus autem quam libros, quos antea composuit quique a civibus suis probati sunt, commemorat eos, quos in animo habet scribere aut in quibus eo ipso tempore versatur; quos non veretur summis laudibus efferre, ut in l. de nom. Hebr. praef. (M. 23, 772): „Libros enim Hebraicarum Quaestionum nunc in manus habeo, opus novum et tam Graecis quam Latinis usque ad id locorum inauditum. Non quo studium meum insolenter extollam, sed quod sudoris conscius ad lectionem eorum provocem nescientes.“ Non aliter est in epistula illa, quam supra commemoravimus, XXXVI (C S E L 54, pg. 269, 9).

Vel dicit in extremo prooemio se confecto hoc opere transiturum esse ad novum, cuius argumentum indicat. Conferre licet Comm. Ezech. I (M. 25, 17 A): „Quod opus si per Domini misericordiam ad calcem perduxero, transibo ad Jeremiam eqs." Similia exponit in eiusdem operis l. XIV (M. 25, 449 A), porro in Comm. Jes. X (M. 24, 351 A) et in praef. l. Josuae (M. 28, 464 B), atque in Comm. Habac. prol. (M. 25, 1273 B) locum quendam affert, ut difficultatem prophetae demonstret; quem apud alios quoque prophetas occurrere dicit, quorum unum iam interpretatus, reliquos brevi explanaturus sit. Non multum differt Transl. Hom. Orig. in Lucam (M. 26, 220) vel in Jerem. et Ezech. prol. (M. 25, 586 A): „Hoc tamen spondeo, quia, si orante te Jesus reddiderit sanitatem, non dicam cuncta (scil. opera Origenis), quia hoc dixisse temerarium est, sed permulta sum translaturus eqs." Quin etiam opera nonnumquam pollicetur, quae postea non iam confecit, sicut in Vitae Malchi prol. (M. 23, 53 B—C), ubi etiam argumentum libri, quem in animo habet componere, accurate explanat: „Scribere enim disposui ab adventu Salvatoris usque ad nostram aetatem, id est ab apostolis usque ad nostri temporis fecem, quomodo et per quos Christi ecclesia nata sit et adulta persecutionibus creverit et martyriis coronata sit et, postquam ad Christianos principes venerit, potentia quidem et divitiis maior, sed virtutibus minor facta sit."[1] Scriptor, qui tam praeclara opera scripturus est, certe dignus videtur, cuius libri legantur et pervulgentur. Commendatur igitur hoc modo rursus scriptor simulque liber eius.

V.

De ornamentis prooemii.

Quae adhuc disseruimus, spectant ad praedicandam rem, de qua est liber, vel scriptoris personam. Sed num omnino hominum magni interest talia demonstrari? Nonne ponitur in iis benevolentia quaedam libri vel scriptoris, quae aut omnino non exstat, aut si exstat, facile potest defatigari? Alia igitur artificia debet adhibere scriptor, ut illorum animos intendat. Sicut dedicatione utitur, qua singulos homines adhortetur. Quomodo autem apte diligentia ceterorum et incitatur et conservatur? Certe talibus rebus, quales quin iis curae sint, dubium non est. Qua de causa praecipue imaginibus, sententiis tritis, locis aliorum scriptorum praeclarorum laudatis auget voluptatem legendi cum in ceteris dissertationis partibus, ut animos lectorum delectet, tum in prooemio, ut studium provocet.

Imagines, quibus Hieronymus ornat prooemia, variae sunt specie. Neque mirandum est eum ut hominem Christianum res ex Scriptura sancta saepe

[1]) cf. Ciris 1—41. Verg. Georg. III 10—39. Propter rationem illam argumentum indicandi mitto ad Livii I praef. 9.

comparandi causa afferre, praesertim cum per totam vitam explanandis eius libris operam dederit, quorum hac re insignem scientiam adeptus est. Velut confert adversarium cum arbore illa infructuosa evangelii, „cuius ad radices securis est admovenda et cum infecunditate foliorum tradenda flammis" (l. de perp. virg. B. Mariae adv. Helv. praef.; M. 23, 184); aut se ipsum cum filio prodigo, cum, postquam diu in studiis rhetoricis erravit, tandem revertatur ad veram hominis salutem (Comm. Abd. prol.; M. 25, 1098 A). Nonnumquam librum suum appellat donum vile, sed quod, cum respondeat suis viribus, Deo gratum sit (v. pg. 78). Aliae imagines, quae singulares apud eum occurrunt, incertae sunt originis; verisimile autem est plerasque sumptas esse ex aliorum scriptorum libris. Sicut in l. adv. Iov. I (M. 23, 211 A) adversarium propter libidinosam vitam nominat Epicurum Christianorum et paulo post exponit de eius sermone: „Totus enim tumet, totus iacet, attollit se per singula et quasi debilitatus coluber in ipso conatu frangitur." Eodem modo etiam ipsum inimicum serpentem ab eo fingi supra vidimus (pg. 63). In apol. adv. Ruf. I se cum medico comparat, qui venenum mortiferum aperiat et impediat, ne diutius noceat corpori; aut in Comm. Ezech. XIV (M. 25, 448 D) dicit haec: „Ita et ego istarum scripturarum ingressus oceanum et mysteriorum Dei, ut sic loquar, labyrinthum eqs." Multas imagines derivavit de viatore insidiis undique oppresso (Comm. Osee II, M. 25, 859), de vino vetustate praeclaro (Praef. in Pentat., M. 28, 118); vel de translatione sua in vera memoria codicum posita loquitur: „. . . . non in tertium vas transfusa coacuerint (scil. verba), sed statim de prelo commendata testae suum saporem servaverunt" (Praef. l. Salom., M. 28, 1244).[1]) Aut se ipse componit cum agricola, qui non desistit spinas eradicare, ut significet, quanto cum labore errores in intellegenda Scriptura sancta prohibere studeat (praef. l. Psalm., M. 29, 118 B). De praef. l. Samuel et Malachim docet: „Quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebraeo vertimus in Latinum, convenire potest." (M. 28, 555.) Vel praef. l. Paral j. LXX Int. (M. 29, 401 A) incipit ab his verbis: „Quomodo Graecorum historias magis intellegunt, qui Athenas viderint, et tertium Vergilii librum, qui a Troade per Leucaten et Acroceraunia ad Siciliam et inde ad ostia Tiberis navigarint, ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus est eqs." Etiam ex re militari complura afferuntur exempla. Ut enim ostendat, quantopere orationis fluxus corrumpatur longo scriptoris otio, in Reg. S. Pach. praef. (M. 23, 61) hac utitur imagine: „Quamvis acutus gladius et levigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine et splendorem pristini decoris amittit." Aut in l. adv. Iov. I, ubi in prooemio longius aberravit, ad ordinem revertitur ita (M. 23, 214): „Nec indulgebo mucroni iam nunc pro virginitate ferire cupienti. Ballista quanto plus retrahitur, tanto fortius mittit eqs."

Unum autem est, quod maxime mireris. Multa enim exempla sumpta sunt de navigatione. Velut in illo prooemio, quod modo protulimus, l. adv.

[1]) cf. Horatii epist. I 2, 69—70: . . . servabit odorem Testa diu.

Iov. I, paulo ante imaginem mucronis et ballistae eadem de causa dicit: ,,Cum enim adhuc vix de portu egrediar et rudentibus vela sustollam, in medium me quaestionum pelagus subitus loquendi aestus abripuit. Unde cohibebo cursum et paulisper sinus contraham.“ Saepe se librum incipientem comparat cum nave, quae provectura est in altum. Multi scopuli imminent, multis tempestatibus opprimitur. Orat igitur, ut Spiritus sanctus ventum prosperum sibi praebeat, ut merces commissas tuto ad portum devehat, id est, ut digne commentarios conficiat. Conferre licet Comm. Osee prol., ubi loquitur de visione obscura et modum prooemii hac re excedit. Veniam petit, cum dicat se hoc fecisse, ut ,,obsitum in ipso exitu scopulum Dei auxilio praetergrediens ad tuta percurreret.“ (M. 25, 819 A). Vel in eiusdem operis l. III est: ,,. . . . nobisque interpretationis vela pandentibus tu debes propheticum illud dicere: ‚A quattuor ventis caeli veni, Spiritus‘, ut celeri cursu varios insidiantium scopulos transeuntes merces dominicas ex omni parte saeviente naufragio ad portus tutissimos perferamus.“ (M. 25, 905 A). Similia profert in Comm. Ezech. XII (M. 25, 369 D), brevius in extremo Comm. Zach. I (M. 25, 1418 B), Ezech. XIV (M. 25, 448 D), Abd. prol. (M. 25, 1100 A). Exornat hanc imaginem, cum admoneat de expeditione illa Argonautarum (Comm. Jes. IV, M. 24, 129 A): ,,. . . . quasi inter duas maris Pontici Συμπληγάδας naviculam nostram direximus, quae flante Spiritu sancto et Domino Salvatore cursum dirigente nostrum elabitur in pelagus eqs.“ Copiose loquitur de periculis navigationis in Comm. Jes. XIII (M. 24, 441 D sqq.). Tempestatum enim vehementiam atque vim perspicue describit. Tales res adversas cum sibi accidisse contendit, significat in gravissimum morbum se incidisse. Breviter procellae discrimen attingit in initio Comm. Osee II (M. 25, 859 C). Dignus denique est, qui commemoretur, Vitae S. Malchi prol. (M. 23, 53 B). Loquitur enim de apparatibus, quibus opus est iis, qui proelio navali dimicaturi sunt. Manifestissime exponit comparationem apteque ad finem perducit.

Quaerimus, quo fiat, ut hoc modo rei navalis imaginibus faveat. Exemplum Ovidii hac re eum secutum esse puto, qui saepe huius generis imagines profert. cf. Met. I 3: ,,Di coeptis . . . aspirate meis.“ Fast. I 4: ,,. . . timidae dirige navis iter.“ II 3: ,,Nunc primum velis, elegi, maioribus itis.“ 863 sq.:

> ,,Venimus in portum libro cum mense peracto.
> Naviget hinc alia iam mihi linter aqua.“

III 790: ,,Et des ingenio vela secunda meo“; item IV 18, 729 sq. Similiter dicit Cicero Tusc. IV § 33: ,,. . . e quibus (scil. logicis) quoniam tamquam ex scrupulosis cotibus enavigavit oratio.“[1])

Sed quaeritur, quo modo Hier. illa similia exposuerit. Nam variis his imaginibus animum lectoris re tractata defessum vel offensum vult delectari

---

[1]) Saepissime adhibere solent scriptores antiqui collationes navigationis ad omnes vitae rationes. Breviter commemoro Horatii carmen illud I 14, quo rem publicam comparat cum navi. Hoc carmen Quintilianus laudat, quod exemplum sit allegoriae VIII 6, 44. Huius generis imagines praecipue usurpaverunt Graeci, quippe qui multum in navigatione versarentur, atque ab iis Romani didicerunt hunc usum.

et recreari. Qua de causa per totum librum diversis spatiis, utcumque res postulat, tractationi inseruntur atque praecipue usurpantur in libris didacticis, quippe quibus maxime defatigentur homines. Sed quoniam, ne diligentiam a re nimis avocent, periculum est, collationes debent plerisque locis breviter attingi, non copiose demonstrari. Idem valet in prooemiis, nisi quod putes homines libri legendi, cum incipiant ei operam dare, nondum taedere. Nihilominus etiam in his saepe imagines atque comparationes paucis verbis perstringuntur. Ex Hieronymi illis exemplis, quae supra protulimus, ad hunc usum spectant haec: infructuosae arboris (l. de perp. virg. B. Mariae adv. Helv. praef.), pauperis viduae, quae parvum donum, sed tamen summi pretii Domino praebet (Comm. Osee III, praef. l. Sam. et Malach.), Epicuri Christianorum et colubris tumentis, sed rursus concidentis (l. adv. Iov. I), medici venenum inimicorum detegentis atque perdentis (Apol. adv. Ruf. I), vasti oceani et labyrinthi mysteriorum Dei (Comm. Ezech. XIV), vini per multos annos mitescentis (praef. Pentat.), prologi galeati (praef. l. Sam. et Mal.), navis per multa pericula prospere ad portum pervenientis (Comm. Ezech. XII, XIV). His enim omnibus locis Hieronymus collatione brevissime commemorata revertitur ad rem. Legem sequitur hac re artis rhetoricae, quam auct. ad Her. profert ita I 6, 10: „Si defessi erunt audiendo, ... ab aliqua re, quae risum movere possit, ab apologo, fabula, imitatione, . . . similitudine, novitate, historia, versu eqs. (scil. exordiemur).“

Nonnumquam autem Hieronymus imagines planius explicat; atque ad hoc adducitur certo consilio. Si enim diutius in comparatione versatur, ea, quae simplici et brevi efficiuntur, valde augentur. Magis etiam lectores oblectantur et defatigati recreantur; sed etiam magis rei illustratione interrupta avertuntur. Qua de causa non omnibus locis potest usurpari imago copiose demonstrata. Media in re tractanda diligentia lectorum non debet perturbari; nam difficile esset ad rem eos reducere. Sed ubicumque quaestionem satis sibi explanavisse videtur et iam transiturus est ad aliam, imagine interposita animos recreat, diligentiam in re persequenda non impedit. In prooemiis vero, quamquam qui legunt, integri et indefessi accedunt, tamen collationes planius expositae inveniuntur, ex quibus voluptas capiatur. Sed animadvertas, quibus locis insertae sint. In l. adv. Iov. I initio, postquam argumentum libri protulit, rationem dicendi adversarii vehementer reprehendit. Deinde ne liber, quo virginitatem laudat matrimonioque praefert, ita percipiatur, quasi matrimonium prorsus condemnet, copiose de commodis matrimonii disserit, quaeque ratio ei sit cum virginitate, docet. Hac re prooemium nimis amplificat; revertitur ergo ad rem. Sed in ipso transitu imaginibus utitur illis navis in mare provecturae atque iam, dum portu exit, nimis ventis prehensae, mucronis pugnae avidi, ballistae acerrime tentae, quae procul summa cum vi lapidem iactat. Non forte puto ibi scriptorem uti hac abundantia comparationum. Nam certe, quod antea disputavit, tantis mysteriis, tantis difficultatibus obscuratur, ut lectores magis offendantur quam

alliciantur. Quorum animos ut sibi conciliet, priusquam ad rem novam, id est ad demonstrandam adversarii sententiam transit, locos illos profert. Simillimus, quamquam imago multo brevius illustratur, est Comm. Osee prologus, ubi eodem modo rem in ipso libro tractandam in prooemio anticipavit atque imagine navis e portu evehentis adhibita redit ad rem.

Ad eandem rationem pertinet, quod prooemia saepe finiuntur imaginibus; quae quidem saepe non plane illustrantur, sed breviter attinguntur. Apparet hoc modo lectorem oblectatum, refectum, legendi cupidum ad librum accedere. Exemplorum, quae ex imaginibus Hieronymi supra posuimus, complura huc spectant: vini, quod de prelo statim in amphoram fusum suum saporem servavit (Praef. l. Salom.) et navis in alto vehentis (Comm. Osee III, Zach. I, Jes. IV). Idem cadit in praef. l. Psalm. (M. 29, 120 A), quae exit in haec verba: „. . . . . non ambigo multos fore, qui vel invidia vel supercilio malint contemnere videri praeclara quam discere et de turbulento magis rivulo quam de purissimo fonte potare.“[1])

Vidimus imaginem esse praeclarum ornamentum, quo lectorum animi defessi rursus incitentur. Nam, ut dicere solemus, delectat varietas. Quodsi paulisper atque idoneis locis a re avocatur lector, respirat et attentior est iis, quae sequuntur. At valet etiam comparatio ad eius studium omnino excitandum, quoniam imago, quae est eius generis, ut omnibus placeat, eleganter illustrata maxime apta est, quae moveat homines. Qua de causa scriptores arte rhetorica imbuti saepe initium sumunt a collatione, quam dilucide explanant. Quae quamquam cum re tractanda saepissime nihil cohaeret, tamen ipsa est ea, quae maxime alliciat lectores. Quam deinceps aliquo modo referre solent in suam personam et tum, postquam pauca de se ipsis protulerunt, paulatim argumento libri appropinquant. Hieronymus ipse quoque nonnulla prooemia hoc tam artificioso modo instituit. Praeclarissimum exemplum, quod supra breviter commemoravimus, est in Vitae S. Malchi prol. (M. 23, 53 B). Describit enim accuratissime, quanta cum industria debeant exerceri ii, qui proelio navali dimicaturi sunt. Quantis apparatibus, quanto sudore opus sit, apertissime ante oculos ponit. Ut igitur illi, priusquam ad veram pugnam proficiscuntur, diu multumque simulato certamine congrediuntur, quo melius utantur armis suis, „ita et ego, inquit Hieronymus, qui diu tacui, ... prius exerceri cupio in parvo opere et veluti quandam rubiginem linguae abstergere, ut venire possim ad latiorem historiam.“[2]) Brevius usurpat eandem rationem in transl. Reg. S. Pach. praef. (M. 23, 61 sqq.). Imaginem gladii sordescentis rubigine, quam initio profert, supra laudavimus; atque quae colliguntur ex hac comparatione, non minus quam loco proxime laudato pertinent ad excusandam Hieronymi dicendi rationem. Non multum differt praef. l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 401). Exponit enim eum memoriam

---

[1]) cf. Cic. Acad. I 2, 8: „. . . . . ut ea e fontibus potius hauriant, quam rivulos consectentur.

[2]) Conferre licet Taciti Agric. prooemium.

rei alicuius gestae melius intellegere, qui locum, ubi illa accidisse traduntur, cognovit, allatis exemplis ex historia Graecorum et Vergilii Aeneidos l. III; et pergit: „Ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus est et antiquarum urbium memorias . . . cognoverit. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universae Christi ecclesiae sonant." Incipit ergo a comparatione prorsus a proposito aliena; unde redit ad suam personam, ut se ipse maxime idoneum ad librum scribendum demonstret. Simile quid observari potest in Comm. Osee II (M. 25, 859 C), ubi ostendit, quantis tempestatibus nauta in mari, quot insidiis viator in itinere sit oppressus. Refert, quod docent haec exempla, ad omnes, qui qua arte pauca perficiunt. Iis quoque undique pericula imminere affirmat, cum nemo fere iuste atque neglecta scriptoris persona de opere iudicet; nam cum amici favore commoti libro nimis indulgeant, inimicos odio incensos nimis ei obtrectare. „Quod mihi in Scripturarum explanatione sudanti accidere video." Sequitur igitur rursus, quod probat de se ipso exemplo illo. Postremo afferre mihi liceat Comm. Jes. XIII (M. 24, 442 D), ubi pariter initium sumit a periculis navigationis, quae nautae instant, sive vento nimis flante atque vela lacerante undis navis percellitur, sive parum flante vento piratae ea sunt potituri. Perpetuo nauta debet timere mortem, qua undique premitur. Rursus pergit: „Hoc mihi in Jesaiae pelago naviganti accidere video." Hic autem locus ea de causa praeter ceteros floret, quod Hieronymus etiam de se ipso dicens imaginem conservat. Pergit enim: „Dum enim inoffenso cursu vela tenduntur et securis naturarum manibus sulcans aequoris campos carina delabitur, subitus languoris turbo consurgens tantis undarum molibus et collisorum inter se fluctuum fragore resonante pavida amicorum corda perterruit eqs." In extremo tandem prooemio profert, quid significet tempestate, cum exponat in gravem morbum se incidisse.

De huius generis prooemiis, quae instructa sunt praeclaris imaginibus atque collationibus, copiosissime egit A. Stock: „De prolaliarum usu rhetorico", Diss. Regim. 1911, atque docuit praecipue ab aetatis posterioris oratoribus eas usurpari solere. Multa laudavit exempla, quibus adiungam cum Vitruvii de arch. libros tum id, quod fortasse imprimis Hieronymus secutus est, Ciceronis l. de inv. II, ubi invenitur narratiuncula illa excellentissima, quae est de Zeuxide et Crotoniatis.

Haud aliter atque in imaginibus res se habet in sententiis generalibus.[1]) Ut enim excitet hominum animos ad librum, scriptor saepe utitur locis, quibus pronuntiatur doctrina trita atque vulgaris, quippe quae idonea sit, quae alliciat quam plurimos lectores. Praesertim si ita eam profert, ut ipsa verba iis,

---

[1]) cf. auct. ad Her. IV 17, 25: „Sententias interponi raro convenit, ut rei actores, non vivendi praeceptores videamur esse; cum ita interponentur, multum afferent ornamenti."

qui libro operam dant, iam nota sint, valde illos delectat. Qua de causa praecipue adhiberi solent proverbia. — Haec sunt pauca exempla Hieronymi: L. de viris illustr. (ed. Herding, pg. 1, 17): ,,. . . . pessimum, ut dicitur, magistrum memet ipsum habeo.''[1]) Comm. epist. Eph. I (M. 26, 439 B): ,,. . . . noli de gratuito munere iudicare et, ut vulgare proverbium est, equi dentes inspicere donati.''[2]) Praef. l. Paral. (M. 28, 1324 B): ,,. . . . illudentibusque Iudaeis cornicum, ut dicitur, oculos configere.''[3]) Praef. l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 401 B): ,,. . . . contuli cum eo a vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem.''[4])

Eodem modo saepe cum locum communem profert, recurrit ad aliorum scriptorum, quos admiratur, libros[5]), sive laudat illorum verba illustria, ut testimonio sint sententiae perstrictae, sive, id quod plerumque accidit, ipsa eorum dicta, ut brevitate vim augeat, pro sententia ponat. Atque in hac re maxime interest explorare, unde locos hauriat. Cetera enim artificia, quibus utitur in prooemiis, ita sunt communia omnium scriptorum, ut certi Hieronymi auctores saepe nominari non possint. In hoc autem usu accuratius constituitur, in quorum auctoritate nitatur. Ut omittam innumerabiles illos locos, quibus affert versus Scripturae sanctae vel aequalium verba, in legendis antiquorum scriptorum libris maxime versatus est tum, cum adulescens artem rhetoricam didicit. Postea enim prorsus ab huius aetatis libris, id quod ipse testatur, abalienatus est. Qua de causa eos potissimum sequitur, quibus tum in scholis operam dabant rhetores. Qui autem fuerint, ipse exponit in apol. adv. Ruf. I 16 (M. 23, 410): ,,Puto, quod legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios, Vulcacii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius et in Terentii comoedias, praeceptoris mei Donati aeque in Vergilium et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum.'' Quod autem, cum ipse in litteris versabatur, minime iis scriptoribus favebat, non magnopere in eo operam navavit, ut ad verbum eorum dicta repeteret, sed tantum ad sensum ea posuit. Qua de causa saepe difficile est statuere, ubi in illis scriptoribus locus allatus inveniatur.

Satis magna diligentia utitur in laudandis poetarum locis, nam versuum numerus ne perturbetur, maxime cavendum est. Incipiamus a poetis comicis. Praecipue ex Terentii prologis saepe affert locos:[6]) Interpr. l. Did. de Spir. S. praef. (M. 23, 104 A): ,,Legi dudum cuiusdam libellos de Spiritu sancto et iuxta comici sententiam ex Graecis bonis Latina vidi non bona.'' = Ter. Eun. prol. 8: ,,Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas.'' Idem locus laudatur

[1]) Otto: Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer, pg. 204.

[2]) Otto, pg. 125.

[3]) Otto, pg. 93, sub voce ,,cornix'' 2.

[4]) Otto, pg. 355.

[5]) cf. Aem. Luebeck: Hieronymus, quos noverit scriptores et ex quibus hauserit, Lipsiae 1872.

[6]) cf. Luebeck, pg. 110 sqq.

in Comm. Osee II (M. 25, 860 C): ,,. . . . Amafinios ac Rabirios[1]) nostri temporis, qui de Graecis bonis Latina faciunt non bona.“ Prorsus ad Terentium spectat Comm. Mich. II (M. 25, 1189 C): ,,Moneo autem tauros pingues, qui circumdederunt me, ut quiescant et desinant maledicere, malefacta ne noscant sua.“ = Andr. prol. 22—23:

,,Dehinc ut quiescant porro moneo et desinant
maledicere, ut malefacta ne noscant sua.“

,,Nam quod dicunt . . . . contaminari non decere fabulas,“ = Andr. prol. 16, ,,. . . . quod illi maledictum vehemens esse existimant, eandem laudem ego maximam duco, cum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus et vobis placere non dubito.“ = Ad. prol. 17—19:

,,Quod illi maledictum vehemens esse existimant,
eam laudem hic ducit maximam, quom illis placet,
qui vobis universis et populo placent.“

,,Quorum omnium aemulari exopto neglegentiam potius quam istorum obscuram diligentiam.“ = Andr. prol. 20—21:

,,Quorum aemulari exoptat neglegentiam
potius quam istorum obscuram diligentiam.“

Postremo relego ad Comm. Ezech. VII (M. 25, 199 A): ,,Olim pueri legimus: Nihil tam facile est, quin difficile fiat, quod invitus facias.“ = Ter. Haut. 805: Nullást tam facilis rés, quin difficilís siet, quam invitus facias.“[2])

Minus operam dedit comoediis Plauti, e quibus locum affert in l. adv. Iov. I (M. 23, 211 B): ,,. . . . illud Plautinarum litterarum ei possit aptari: Has quidem praeter Sibyllam leget nemo.“ = Pseud. prol. 25:

,,Has quidem pol credo nisi Sibylla legerit,
interpretari natum posse neminem.“ (Luebeck, pg. 108.)

Saepissime autem laudat poetas aetatis Augusteae atque maxime Vergilium atque Horatium. Hi sunt pauci ex locis, quos sumpsit de Vergilio:[3]) L. adv. Iov. I: ,,. . . . et illud Vergilianum (scil. aptari potest): Dat sine mente sonum.“ = Aen. X 640. Ad eundem locum pertinet, quod est in Comm. Abac. I (M. 25, 1274 A): ,,Nec in morem insanientium feminarum dat sine mente sonum (scil. propheta).“ L. Hebr. Quaest. Gen. praef. (M. 23, 936 A): ,,Unde lectorem obsecro, ,. . . si quis tamen haec quoque, si quis || Captus amore leget‘ eqs.“ — Ecl. VI 9—10. Comm. Ezech. XIV (M. 25, 447 D): ,, . . illius versiculi memor: ,Hic labor ille domus et inextricabilis error’.“ = Aen. VI 27.

,,De quo in alio loco idem poeta decantat:
,Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter ancipitemque

---

[1]) Quod his nominibus relegat ad Ciceronis de philosophia libros, vide infra pg. 97.

[2]) cf. Luebeck, pg. 5. Simile exponit Cicero pro Rosc. Am. 42, 123.

[3]) cf. Luebeck, pg. 167 sqq.

Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et irremeabilis error." = Aen. V 588—91.

Comm. Osee III (M. 25, 904 D): ,,. . . illiusque semper versiculi recordamur: Pollio et ipse facit nova carmina." = Ecl. III 86. Praef. in Dan. (M. 28, 1292 B): ,,Verum adhortante me quodam Hebraeo et illud mihi crebrius in sua lingua ingerente: ‚Labor omnia vincit improbus.' . . ." = Georg. I 145/146. Praef. in Ezram (M. 28, 1406 A): ,,Itaque licet et excetra sibilet victorque Sinon incendia iactet eqs." = Aen. II 329: ,,Victorque Sinon incendia miscet || Insultans." Mentio fit huius poetae in l. contra Vigil. (M. 23, 339 A): ,,Cacum describit Vergilius." (Aen. VIII 195 sqq.), porro in praef. l. Paral. j. LXX I. (M. 29, 401 A): ,,Quomodo . . . . magis intellegunt . . . . tertium Vergilii librum, qui a Troade per Leucaten et Acroceraunia ad Siciliam et inde ad ostia Tiberis navigarint eqs."

Vergilio proximum locum tenet Horatius, ex cuius libris nonnulla afferam exempla[1]): L. adv. Iov. I (M. 23, 211 B): ,,Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus." = Art. poet. 139: ,,Parturient m. eqs." Apol. ad Ruf. I (M. 23, 399 A): ,,Flaccus Horatius quoque in epistula, quam scribit ad Florum: Male, ait, sarta gratia nequidquam coit et rescinditur." = epist. I 3, 31. L. Hebr. Quaest. Gen. (M. 23, 935 B): ,,Semper enim in propatulo fortitudo aemulos habet ‚feriuntque summos || Fulmina montes.' " = carm. II 10, 11—12. Comm. Zach. II (M. 25, 1453 D): ,,Ad hanc difficultatem urget petasatus libri portitor: ‚Dimidium facti, qui coepit, habet . . .' " = epist. I 2, 40. Praef. l. Psalm. (M. 28, 1127 A): ,,. . . . dicam tibi illud Horatianum: ‚In silvam ne ligna feras.' " = Sat. I 10, 34: ,,In silvam non ligna feras insanius . ."

Multo minus utitur libris eorum poetarum, qui postea fuerunt, sicut Persii in l. adv. Iov. I (M. 23, 211 B): ,,Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes." = sat. III 118.[2])

Ex rerum scriptoribus maxime favere videtur Sallustio[3]): Vitae S. Hil. prol. (M. 23, 29 A): ,,Eorum enim, qui fecere, virtus, ut ait Crispus, tanta habetur, quantum eam verbis potuere extollere praeclara ingenia." = Cat. 8, 4; l. de nom. Hebr. praef. (M. 23, 772): ,,Non quo studium meum insolenter extollam, sed quod . . ." = B. Iug. 4, 2: ,,Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, imprimis magno usui est memoria rerum gestarum; cuius de virtute quia multi dixere, praetereundum puto, simul ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere." Praef. in Ezram (M. 28, 1403 A): ,,Frustra autem, ut ait quidam, niti neque aliud fatigando nisi odium quaerere extremae dementiae est." = B. Iug. 3, 4. — Alios per occasionem commemorat sicut Livium in Comm. Osee II (M. 25, 861 A): ,,. . . . tamen magis optarem, quod T. Livius scribit de Catone, cuius gloriae

---

[1]) cf. Luebeck, pg. 160 sqq.

[2]) cf. Luebeck, pg. 197.

[3]) cf. Luebeck, pg. 117 sqq.

neque profuit quisquam laudando nec vituperando nocuit. Significat autem M. Ciceronem et C. Caesarem, quorum alter laudes, alter vituperationes supradicti scripsit viri.“ Ex scriptorum didacticorum numero affert Plinium in Praef. l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 403 A): „Optima enim quaeque, ut ait Plinius, malunt contemnere et invidere plerique quam discere.“ Ad eundem locum spectat, quod legimus in praef. l. Psalm. j. LXX Interpr. (M. 29, 120 A): „Non ambigo multos fore, qui vel invidia vel supercilio malint contemnere videri praeclara quam discere. Aliquid simile inest in praef. l. Psalm. sec. Hebr. ver. (M. 28, 1125 A). Ubi autem in Plinii libris hoc exponeretur, nec Luebeckius invenit (pg. 212) nec ego invenire potui.

Maxime commemorat artis rhetoricae praeceptores, e quibus enumerat nonnullos in Comm. Jes. VIII (M. 24, 281 B): „. . . . si flumen eloquentiae et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Gallionem, Gabinianum eqs.“ Adulescens audiverat Victorinum; cuius memoriam repetit cum aliis locis (cf. pg. 38) tum in Comm. Ezech. XIII (M. 25, 406 B): „Illud rhetoris Victorini breviter admoneo, ut obscuritatem voluminum ex tribus rebus fieri scias, vel rei magnitudine vel doctoris imperitia vel audientis duritia.“ = Vict. ad Cic. de inv. I 15, 20 (Halm, rhet. Lat. min. 196, 37): „Quod obscurum est, tribus modis semper obscurum est: si is, qui enarrat, non intellegit, aut is, cui narratur, tardior est, aut si res ipsa perplexa est.“ Ex antiquioribus magistris laudat Quintilianum in praef. l. Hebr. Quaest. in Gen. (M. 23, 935 B): „Me vero procul ab urbibus, foro, litibus, turbis remotum sic quoque (ut Quintilianus ait) latentem invenit invidia.“ Hunc locum ex Quintiliani, quae dicuntur, declamat. XIII, 2 sumptum esse Aem. Luebeck docet pg. 219. Ad eundem relegat in l. contra Vigil. (M. 23, 340 A), ubi dicit de adversario: „Iste caupo Calagurritanus et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus eqs.“, item in Comm. Abd. (M. 25, 1098 C): „. . . et Quintilianus in duodecim libris Institutionis oratoriae“ et in praef. Dan. (M. 28, 1291 B): „. . . . post Quintiliani et Tullii lectionem ac flores rhetoricos.“

Praecipue autem Hieronymus versatus est in libris Ciceronis.[1]) Paucos de locis, quos ex eius operibus protulit, repetam. Apol. adv. Ruf. I (M. 23, 397 A—B): „Olim pueri legimus: Intemperantis esse arbitror scribere quidquam, quod occultari velis“ = Acad. I 1, 2. Comm. Ezech. XII (M. 25, 370 C): „Prima enim, ut ait sublimis orator, quaeque sectanti honestum est etiam in secundis tertiisve consistere.“ = Orat. 1, 4: „Prima enim sequentem honestum est eqs.“ Non inveni locum nec Luebeckius observasse videtur (cf. pg. 94), quem significat Hieronymus in Comm. Osee III (M. 25, 905 A): „. . . quamquam et amor recipiat errorem pulchrumque sit illud *Θεοφράστου*, quod Tullius magis ad sensum quam ad verbum interpretatus est: *τυφλὸν τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον*, id est amantium caeca iudicia sunt.“ Ciceronis esse puto etiam illud, quod scriptum videmus in Comm. Amos II (M. 25, 1021):

---

[1]) cf. Zielinski: Cic. im Wandel der Jahrhunderte[2] 1908, pg. 112 sqq. Luebeck, pg. 128 sqq.

„Legi in quadam controversia: Imbecillitas corporis animi quoque vires secum trahit.“ Quamquam hunc locum frustra quaesivi, tamen verisimile mihi videtur hanc sententiam, quam Cicero protulit fortasse in Catone Maiore, qui dicitur, ut eam refutaret, breviter Hieronymum complexum esse, etiamsi vox controversiae, qua utitur, dissentit cum Ciceronis opere. Non aliter se res habet in Comm. Jes. XVI (M. 24, 547 A): „Egregia disertissimi oratoris sententia est: Felices essent artes, si de illis soli artifices iudicarent.“ Ne Luebeckius quidem commemorat hos duos locos, quos postremos laudavi. Multis autem locis Hieronymus mentionem facit Ciceronis, sicut in dial. adv. Pelag. prol. (M. 23, 495 A): „Quorum (Stoicorum, Peripateticorum, Academicorum) sententias et Tullius in Tusculanis disputationibus explicat eqs.“ Neque vero de omnibus libris aeque admonet. Philosophiae enim opera raro commemorat. Praeter locum, quem proxime laudavi, afferri potest Comm. Osee II (M. 25, 860 C): „. . . . Amafinios ac Rabirios nostri temporis . . . . evangelico calces pede.“ cf. Acad. I 2, 5; Tusc. IV 3, 6—7. Multo saepius relegat ad opera rhetorica, sicut ad Brutum in l. de vir. illustr. praef. (ed. Herding, pg. 2, 3—7): „Itaque . . . precor, ut, quod Cicero tuus, qui in arce Romanae eloquentiae stetit, non est facere dedignatus in Bruto, oratorum Latinae linguae texens catalogum, id ego in eius Ecclesiae scriptoribus enumerandis . . . impleam.“ Item in praef. l. Paral. j. LXX Interpr. (M. 29, 402 B): „Hoc primum sciendum, quod apud Hebraeos Paralipomenon liber unus sit, . . . qui propter magnitudinem apud nos divisus est, quod nonnulli etiam in Bruto Ciceronis dialogo faciunt, ut eum in tres partes secent, cum unus a suo auctore sit editus.“ Porro in Comm. Abd. prol. locus est, qui non omni caret momento in historia litterarum exploranda (M. 25, 1098 B—C): „Dicit et Tullius tuus adulescentulo sibi inchoata quaedam et rudia excidisse; si hoc ille tam de libris ad Herennium quam de Rhetoricis, quos ego vel perfectissimos puto, ad comparationem senilis peritiae dicere potuit eqs.“ Ut hoc modo saepe releget ad Ciceronis libros rhetoricos, ea de causa certe fit, quod in scholis adulescens assidue eis dederat operam. Nec mirum est inveniri locos, quibus nos admoneat de iis Ciceronis libris, quos ille convertit ab aliis scriptoribus; sicut in Comm. Jes. XII (M. 24, 409 D): „Denique Timaeum de mundi harmonia astrorumque cursu et numeris disputantem ipse, qui interpretatus est, Tullius se non intellegere confitetur.“ Vel in Praef. Pentat. (M. 28, 151 A): „Nisi forte putandus est Tullius Oeconomicum Xenophontis et Platonis Protagoram et Demosthenis pro Ctesiphonte afflatus rhetorico spiritu transtulisse eqs.“; item in Chron. praef. (ed. Helm, pg. 1a 20 sqq.). Huius rei causam inesse puto in eo, quod ipse plurima opera transtulit; sed etiam, cum Romae artem rhetoricam didicit, in translationibus Ciceronis valde eum versatum esse inde colligitur.

Denique breviter exploremus, quomodo horum, quos nominavi, scriptorum locis usus sit. Atque in hac quidem re easdem leges sequitur atque

in imaginibus, quippe quibus idem perficiatur, ut animi lectorum delectentur et recreentur. Relegare licet ad illud auctoris ad Her., quod supra protulimus (pg. 90). Praecipue si recurrit scriptor ad locum omnibus notum, magna cupiditate legendi afficiuntur homines. Qua de causa, si insignium virorum sententias laudat, satis habet eas afferre nomine auctoris omisso, cum tantum dicat: „Olim pueri legimus" vel: „Egregia disertissimi oratoris sententia est" vel simile. Pro certo enim habet lectoribus et sententiam et auctorem notum esse. Quin etiam, id quod exempla docent, interdum omnino non pronuntiat se verba ex aliorum libris transcripsisse. Tamen, quin lectores meminerint loci, quem significat, non dubitat.

Restat, ut inquiramus, ubi ponere soleat Hieronymus sententias in contextu prooemii. In hac re nulla restringitur lege. Plerumque leviter eas attingit, ut ornamento sint sermoni, in ordine rerum expositarum autem nihil valeant. Nonnumquam vero sic eas collocat, ut transitum faciant ab altera parte prooemii ad alteram, sicut versum illum Vergilii in l. Hebr. Quaest. Gen. (M. 23, 936 A, cf. pg. 94); qua de causa saepius facit exordium cadens in locum communem. Sic sunt institutae praef. in l. Psalm. (M. 28, 1127A) et Ezram (M. 28, 1406 A) itemque Comm. Ezech. XIII (M. 25, 406 B) et praecipue XII (M. 25, 370 C).[1]) — Pariter denique atque imagines, de quibus diximus, sententias ponit in ipso initio, ut hac ratione lectores alliciat. Exempli causa relego ad Comm. Jes. XVI (M. 24, 547 A), Ezech. VII (M. 25, 199 A), Amos II (M. 25, 1021). Accedunt pauca prooemia, quae ordiuntur a sententiis generalibus, etiamsi non ad certos aliorum scriptorum locos respiciunt. L. adv. Vigil. (M. 23, 339 A) incipit sic: „Multa in orbe monstra generata sunt ... (enumerantur nonnulla) ... Sola Gallia monstra non habuit. .... Exortus est subito Vigilantius eqs." Simili modo exponit in Comm. Jes. XI (M. 24, 377 B): „Difficile, immo impossibile est placere omnibus nec tanta vultuum, quanta sententiarum diversitas est ..." Quidque adversarii Commentariis in Danielem a se conscriptis opprobrio dent, exponit. In eiusdem operis l. XII sunt haec: „Nullus tam imperitus scriptor est, qui lectorem non inveniat similem sui eqs." Adhibet hanc sententiam ad adversarii alicuius libros, quibus suorum praestantiam opponit. Comm. Ezech. III (M. 25, 75 C—D): „Nihil longum est, quod fidem habet, ... vera sententia est: Omnia orta occidunt et aucta senescunt eqs." Queritur societatis Christianorum, quae fuit Romae, calamitates. Illi a Caesare crudelissime vexati in Palaestinam refugerunt. Quos cum adiuvet, prohibetur ab opere perficiendo. Postremo laudo Chron. praef. initium (ed. Helm, pg. 1 a, 1—20): „Vetus iste disertorum mos fuit, ut exercendi ingenii causa Graecos libros Latino sermone absolverent et, quod plus difficultatis in se habet, poemata illustrium virorum addita metri necessitate transferrent." Amplius exponit, quae in hac re difficultates sibi superandae sint; sed accedere etiam alias, de quibus copiosius verba facit. —

[1]) cf. Volkmann, Rhetorik^2, pg. 147.

Ratio, quam observat his omnibus locis, eadem est, quam in imaginibus initio positis statuimus. Semper enim orditur a re quadam generali, quam refert ad suum librum aut ad aliquid aliud, quod cum proposito suo cohaeret et unde facile transire potest ad rem ipsam. Aliorum vero scriptorum, qui hunc usum secuti sunt, exempla sunt innumerabilia. Solius Ciceronis affero l. de orat. I, Tusc. disp. II, de off. III.

Iam subsistamus in explorandis Hieronymi prooemiis. Satis illustravisse mihi videor singulos locos vel argumenta, quibus uti solet, ut animos lectorum attendat. Sed cum hoc unum sit propositum exordii, numerus eorum pro multitudine librorum exiguus est; atque multa prooemia eadem ratione instituta inter se simillima sunt. Etiam his temporibus si contemplamur, qualia principia dissertationibus soleant praefigi, eadem saepe invenimus artificia, quibus idem efficiatur. Adeo sibi constantia sunt initia librorum et adeo loci sunt communes, ut scriptores facere non possint, quin iis utantur. Qua de causa, cum numquam non inveniantur, difficillimum est explorare, quos praecipue auctores Hieronymus secutus sit. Nam ubicumque proprium aliquid est eius librorum, hoc efficitur ex ipso genere scribendi et ex re, de qua est quaestio.

At ne singuli quidem loci, id quod iterum atque iterum exemplis allatis apparuit, distincte possunt segregari. Nam ita sunt propinqui, ut plerumque artissime inter se coniungantur. Neque, quo ordine scriptor eos usurpare solitus sit, ut tota prooemia componeret, quamquam conatus sum inquirere, certum investigare potui. Sed varium in modum apud Hieronymum ordo locorum mutatur, deest unus et iterum alter, nulla videtur esse lex, qua prooemia instituuntur. Solis in initio et in fine summam adhibuit diligentiam, cum ibi praecipue studium lectoris debeat provocari. Qua de causa his locis profert eas res, quae maxime ad id idoneae sunt, velut argumenti indicationem, dedicationem, imagines quasdam praeclaras, similia.

VITA.

Natus sum Walter Stade d. XVII. m. Sept. anni 1901 in oppido Mecklenburgiae, cui nomen est Neukloster, patre Friderico et matre Maria e gente Haukohl. Fidem profiteor evangelicam luthericam. Litterarum primordiis imbutus sum scholis privatis a verbi divini ministro, qui erat in oppido, Peters †, quem summo in honore semper habebo. Postquam anno 1913 parentes transmigraverunt Gustroviam in oppidum Mecklenburgiae, ubi pater nunc munere fungitur inspectoris scholarum, per septem annos frequentavi gymnasium Gustroviense. Magistris usus sum viris egregiis Polstorff, Fischer †, Malchow †, Kollmorgen, aliis, quibus omnibus maximam debeo gratiam. Anno 1920 maturitatis testimonium adeptus operam dare coepi studiis latinis, romanicis, germanicis. Primo adscriptus sum civibus academicis universitatis Rostochiensis, post duo autem semestria petivi universitatem Jenensem, ibique interfui cum scholis virorum doctorum Sommer, Slotty, Michels, Schulz-Gora, Bauch, Wundt, aliorum, tum proseminario philologico latino, cui praeerat Barwick. Hieme anni 1921 Rostochium reversus per quinque semestria in litterarum studio versatus sum. Docuerunt me viri praestantissimi Helm, Geffcken, Brandt, Herbig, Güntert, Pagenstecher †, von Lücken, Golther, Teuchert, Flemming, Zenker, Erhardt. Seminarii philologici sodalis fui per quinque semestria, ubi viri doctissimi Helm et Geffcken summa cum diligentia studiis meis faverunt. Seminario germanico benigne me adhibuit Golther, romanico Zenker, exercitiis philosophicis Erhardt. Quos omnes optime de me meritos esse numquam obliviscar, praecipue autem magistrum meum Helm, quem semper grato animo colam. Exeunte anno 1923 hoc opus praebui iudicio facultatis philosophicae, quae huius quaestionis investigationem postulaverat pretio exposito. Quo pretio dignam censuerunt arbitrii hanc tractationem d. XXVIII. m. Febr. anni 1924.